

**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN









N Th. 5017
f 20

BELLUM SACRUM
ECCLESIAE
MILITANTIS
CONTRA TURCUM
COMMUNEM HOSTEM
CHRISTIANORUM.

TESSERA
SACRÆ MILITIAE
CRUCIGERORUM.
Coll. Societatis
DEUS VULT: *Item. Paderb.*
Nova bella elegit Dominus. Judicium 3.



LEODII,
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL,
Suæ Serenissimæ Celsitudinis Typog.
M. DC. LXXXV.

Superiorum Permissu:



AUGUSTISSIMO,
ROMANORUM IMPERATORI
LEOPOLDO,
A CAROLO MAGNO
PRIMO ROMANO-GERMANICO
CÆSARE
QUINQUAGESIMO.

SACRA CÆSAREA MAJESTAS,
Si Deus pro Te, quis contra Te?

MULTÆ tribulationes
Fustorum, & de his
omnibus liberavit eos
Dominus. Et tu Do-
mine Deus virtutum
ad nihilum reduces
omnes gentes. Eripe
me de inimicis, & ab
insurgentibus in me libera me, quia tu
a 2

es auxiliator meus: Suscipe me ergo secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione meâ.

Hæc verba Regalis fiducia Regis secundum cor Dei, Tua sunt: ô Augustissime Imperator LEOPOLDE, Christianorum Principum Piissime: Tu enim ab Omnipotente Deo electus es in salutem fidelium populorum, quibus Te dedit in Imperatorem Clementissimum, ut omnium eses Consolator: semper igitur confide in Deo Patrum tuorum: qui Te prior dilexit, & elegit, non deseret Te, semper erit Tecum usque in finem.

Ista fuit Austriacorum Principum, precipuo gratia Dei favore electorum perpetua fiducia: quippe qui non in gladio suo, sed in virtute Omnipotentis, & in singulari ejus benevolentia super-speraverunt: semper in adjutorio Altissimi habitantes, & in protectione Dei Cæli commorantes, sicut Ecclesia columnæ & firmamenta. Constat siquidem omnem Augustissimæ Domus potentiam, & gloriam, quam à Rudolpho I. per quatuordecim Imperatores Austriacos, ad Te Unum devolutam cernimus, & gratulamur; speciali Divini Numinis beneficio dona sua in Te cumulante, & coro-

se-
&
eâ.
un-
ime
rum
ni-
um
ato-
esses
Deo
&
rum
ra-
pe-
suo,
gu-
ve-
bi-
m-
&
em
lo-
or-
Te
tu-
re-
ro-
nante, esse tribuendam : ut non in Te ipso, sed in solo Deo, Auctore naturæ, dispensatore gratiæ, & gloriæ aeternæ largitorem, confidas, gaudias, & unicè glorieris.

Tu Deo & hominibus Dilectæ LEO-POLDE, Germanorum Regum & Imperatorum Quinquagesime ; Europæ Christianæ jubilum attulisti : ut Te Imperante Sacrum Imperium, post Belli Sacri felicem exitum, sperare possit sua libertatis indulgentiam universalem ac plenissimam, quæ tot undique inimicis opprimebatur.

Incidisti quidem in infelicissima Reipublicæ tempora, veluti Sol in prævia nubis densissimam caliginem ; verum tamen ut splendidior lucet post nubila Phœbus ; sic omnes gloria tua amulos, Deo Tecum, & pro Te pugnante superabis & conteres.

Erant non pauci, qui in Gloriosissimi tui Parentis funere, omnem Augustissimæ Familia tuæ gloriam sepultam esse arbitrabantur ; sed non animadvertebant Pientissimum illum Præcipem, cuius hoc erat effatum, Voluntas Dei, Vita mea: pretiosâ in conspectu Domini morte obiisse : quando redivivus è

tumulo Deus-Homo, gementium disci-
pulorum lacrymas tersit, ut intelligere-
mus, in Austriae Princium fu-
neribus semper esse novum Pascha, quo
illis qui emoriuntur, recentiores resti-
tuantur ad salutem populorum fidelium
& ad gaudium Sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ, cuius ab initio fuerunt perpetui
& invictissimi Propugnatores.

Et sane in Te Uno Augustissime
LEOPOLDE omnium Majorum Two-
rum virtutes coruscant, in Te à teneris
apparuit maturitas supra etatem, amor
sincerus Religionis Catholicæ propugnan-
dæ, filialis affectus erga communem fide-
lium Patrem, Romanum Pontificem,
quem ut unicum visibile Ecclesiæ totius
Caput, universalem Gregis Dominici
Pastorem, summum in terris Christi
Vicarium, veneraris, audis, diligis, &
colis. Ad hæc zelus tuus Catholicus pro
salute Populorum tuorum, Justitia,
Æquitas, Benignitas, Affabilitas, Muni-
ficientia, animi celsitudo inter adversa,
judicium omnis boni consilii capax, mo-
rum integritas; Ad extremum Pietas
Eucharistica, Augustissimæ Domus Au-
striacæ Caracter, Robur & Præsidium
singulare; Hæ, inquam, omnes Impera-

tore Christianissimo dignæ virtutes, quas
in Te admiramur, & veneramur; Ma-
jorum tuorum Majestatis, Potentia, &
Gloria, scriberent Te hæredem; licet tam
ipsorum merita, quam sanguinis suffra-
gium abessent.

Stetisti L E O P O L D E immotus in
Deo, & in Te manens; Tu unus inter
multos Imperialis Diadematis ambitio-
sos, ambiebaris; Dei nutum & motum
humilis, securus, & magnanimus expe-
pectabas, prævenire nolcas; cur ergo à
tam digne Capite, quod ab Avitis Ma-
jorum Cæsarum virtutibus non declina-
bat, Imperiale Diadema declinasset? Non
est negandum antequam Te Imperato-
rem parturirent Septem-viri longiorem
moram traxisse: non quod Te nollent Cæ-
sarem quem uno animorum consensu ele-
gerunt, sed quia magnorum à Deo Ele-
ctorum Partus, nunquam carent magnis
difficultatibus: nemo Tibi denegabat
Imperium, quod tam multis titulis fe-
ceras tuum, sed ne tam citò essem Imper-
ator laborabant qui tuam Potentiam
metuebant: illi dignissimas Imperio vir-
tutes suspiciebant, in Te vel inviti, nec
poterant non admirari, quem suis pri-
vatis commodis servientes, noluissent in

supremum humanæ glorie Thronum exaltari, sed dissipauit omnia consilia eorum ille qui Te elegerat. Frustra repugnant mortales, quando cœli auspiciis agitatur urna: qui in manibus suis tenebat Principum corda, quæ voluit inclinavit.

Deo igitur Optimo Maximo impelleente, Cæsarem Te dixerunt, quem Imperii hostes maximè noblebant, probi summi optabant, tunc decimo octavo etatis anno, decimâ quinta Imperii Corona Austriacos fastos cumulaſti, Imperatorum à Carolo Magno Romano-Germanicorum Quinquagesimus.

Coronatus Imperator id mirandum præstisti, quod omnium amores collegis nihil enim quod in Te invidenter ambitionis, nihil quod odissent adversarii reperire potuerunt: siquidem supereminenſis virtus emulationem, & invidiam exclusit: amabilitas vero morum tuorum omne odium extinxit.

Imperii tui Urbes pertransisti beneficiando omnibus, veluti Sol universis & singulis benignus, & salutaris: Ingressus tuus pacificus omnes exhilaravit, at discedens natantes in lacrymis oculos aspexisti, cum advenisses gratissimus omni-

bus, omnes vulnerasti cùm abires; non
enim sine ingenti dolore amittitur, quod
summo amore diligitur: tam fortiter,
suaviterq; in omnium cordibus regnat,
quem regiae virtutes reddunt omnibus
amabilem: oblatas passim Civitatum
claves accepisti, ut ad omnium a-
nimos novis beneficiis Tibi viam regiam
aperires: manebat enim altè impressum
in Imperiali tuo animo, divinum Regis
Regum pronunciatum: ipse enim dixit
quod prius fecit, Quia beatius est magis
dare quam accipere; quamobrem qui
ingentes tuos thesauros videre volunt,
amicos & subditos tuos aspiciant, quos
bonis omnibus cumulasti, Tibi ipsi par-
cens, ut tui abundantius habeant, unde
boni beatiq; sint. Tanta enim est tui Imperialis
animi propensio ad beneficiandum
omnibus, ut verisimile de Te dicatur quod
scripsit Poëta de primo Augusto

Tu mitis ad poenas Princeps, ad præ-
mia velox,

Quique doles, quando cogeris esse
ferox.

Scimus Regem Regum, Dominum no-
strum, unigenitum Dei Filium, totius
mundi Salvatorem, omnium omnino homi-
num Redemptorem JESUM-CHRISTUM,

cujus imperium super humerum ejus, ex
MARIA Immaculata semper Virgine,
pacis & gratiae inventrice nasci voluisse,
cum totus terrarum orbis universaliter pa-
ce frueretur, & medium altare quietis si-
lentium tenerent omnia. Tu Imperator
Benignissime LEOPOLDE, pacis, tran-
quillitatis, & populorum fidelium salu-
tis amantisimus, omnibus Principibus
Christianis virentis olivaram sponte
præbens, nemini bellum indicis, nisi co-
actus: gladio tibi Divinitus dato non
ueris, nisi ut Dei Minister, in protec-
tionem bonorum, & ut vindex in iram,
ei qui malum agit: contrainimicos Cru-
cis Christi acinacem evaginas, ne Eccle-
siam Dei Vivi in servitutem redigant,
quapropter qui bella inter Catholicos
Principes Ecclesia Dei Vivi eversionem,
pacem vero, Fidei propagationem, & ini-
micorum Crucis Christi destructionem
esse cognoscunt & confitentur, Te Impe-
ratorem pacificum, justum, pius, cupe-
rent esse immortalem.

Verum in hoc perpetuo rerum caduca-
rum fluxu, & refluxu, non possunt esse
perpetua pacis fædera, cuius tam mobilia
sunt fundamenta: nemo hic quantum-
vis felix, potest esse ex omni parte beatus,

quippe omnes in hoc mortali corpore pere-
grinamur à Deo cordis nostri, in cuius
solius sinu est pax aeterna Beatorum. Ab-
sit ergo à Christianissimis Principibus,
& ab omnibus Electis in Christi JESU
Regis gloriae Divino Sanguine ad vitam
aeternam regeneratis, ut in terris felicitat-
em suam stabiliant; regales animos Deo
Uno, Trino, Optimo, Maximo, Beatissi-
mo capaces, quidquid Deo minus est non
implebit.

Recordare Piissime LEOPOLDE,
quantis adversis ab adolescentia tua pro-
bavit Te, qui Te elegit: certamen forte
dedit. Tibi ut vinceres, non per Te, sed per
illum qui est Auxiliator tuus; & scires
ex Te ipso, quia manus Omnipotentis te-
cum est, ut eruat Te. Semper igitur in Deo
Patrum tuorum magis confidentem non
Te contristet quidquid Tibi acciderit: esto
semper in periculis intrepidus, in hoc
Bello Sacro contra superbum inimicum
Crucis Christi fortissimus, in adversis
magnanimus, in prosperis humillimus;
in omnibus justus, pius, integer vita, sce-
lerisq; purus. Omnia humana transiunt
sicut somnia: Veritas autem Domini
manet in aeternum.

Si ergo Deus pro Te, quis contra Te?

¶ Multæ tribulationes Fustorum, & de
omnibus his eripuit eos Dominus Om-
nipotens. JESUS-CHRISTUS heri, & ho-
die, ipse & in saecula, firmissimum
est Augustissima, semper Catholicæ,
& Piissimæ Domus Austriacæ funda-
mentum.

¶ Est Deus in Cœlo, qui miscet tristia
lætis,

Magnanimi Reges, in cunctis Nu-
men adorant:

Tristentur miseri, quorum spes extat
in Imis,

Impavidi maneant, quorum spes ex-
tat in altis,

Tu LEOPOLDE, Deo confidens
omnia vinces.

Hoc totâ devotione exoptat,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
TVÆ,

Minimus Sacerdos
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Chronica Belli Sacri contra
Turcas ab Anno 1683.
usque ad annum 1685.

Anno 1683.

VIenna ArX fIDeLIVM
CoangVstatVr.
MIChaëL qVIs Vt DeVs
eXVrgIt.
JosephVs CæLorVM proreX
aDJVtor VenIat.
nasCItVr MarIa, gaVDens
eXVLtat VIenna.
JEsVs-CHRISTVs DeVs hoMo
saLVaVIt sVos.
DeVs eXerCItVVM Vlen-
nenses LIberat.

Anno 1684.

Deo fVLgVrante feroX
InIMICVs rVIt.

DoMIne aVXILIator eXVr-
ge CItò.

Joannes reX poLonorVM
VenIat, VIDeat, VInCat.

Anno 1685.

PaX robVr FIDE LIVM
TVrCIs InVIsa.

Deo VnI, trInoq Ve eXVL-
teMVs ChrIstIanI.

sVb InnoCentIo XI. JVbI-
LeMVs Deo Vero.

Deo aVspICe, sVb LEoBOL-
Do Cæsare AVgVsto,
CathoLICo, plo,
TVrCVs perlbt.

APPARATUS
AD
BELLUM SACRUM.

§. I.

Ejus origo.

SARACENI Arabes, crudelissimi Christianorum persecutores, per quadringentos annos, sub Califis, seu Cäri magni Principibus, totam Terram Sanctam, Christi Regis Regum Patrimonium, possederant, quando Turcæ illis expulsis, eam armis occupaverunt, anno sexcentesimo trigesimo septimo; gemuerat sub hoc infami & sævissimo Mahometis jugo annis quingentis, patria Liberatoris humani generis, cum ipse zelo gloriæ suæ novæ, corda Principum Christianorum inflammat, anno post ejus nativitatem millesimo nonagesimo tertio. Ut autem hujus Belli Sacri, auctorem se esse

ostenderet Deus omnipotens, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, & vilissima, ac contemptibilia, & ea quæ non sunt assumit, pro benefacito suo, quando vult, & sicut vult: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus; ad tantum, & tam arduum opus, usus est homine quodam solitario, Petro Eremita nomine; qui profectus in Terram Sanctam, videns horrendam oppressionem Christianorum, sub Turcorum tyrannide, qui non solum laicis, sed etiam Sacerdotibus, ipsoque Patriarchâ Hierosolymitano, Simeone, tanquam vilissimis mancipiis, ad sordidissima quæque utebantur, tantis malis permotus: & de salute fratrum suorum sollicitus, in Templum Sancti Sepulchri se contulit, in quo solus pernoctans in oratione Dei, multis cum gemitibus & lacrymis Patrem misericordiarum deprecatus est: ut innumeras animas, Christi Sanguine Redemptas; in libertatem filiorum suorum asserere dignaretur, aspiciendo in faciem Christi sui.

Et oratione absolutâ, in eodem loco somno correptus, visus est sibi vide-re JESUM-CHRISTUM Gloriosum, è Sepul-

è Sepulchro suo emissam , eum-
que his alloquenter verbis. Surge
„ Petre, aggredere velociter , & pro-
„ sequere fortiter opus ad quod elegi
„ te: ego enim ero tecum, tempus est,
„ ut hæc Sacra-loca, Sanguine , lacry-
„ mis , & sudoribus meis aspersa , à
„ gentium sacrilegis profanationibus
„ purgentur , & populus meus ab istâ
„ crudeli servitute, liberatus , mihi
„ soli serviat.

Hac visione recreatus , & animatus ,
Petrus, tanto zelo accensus , & ad om-
nia, summè ardua, adeo est inflamma-
tus , atque impulsus ; ut nihil sibi in
hoc opere peragendo, impossibile fu-
turum, firmissimè crediderit ; sine mo-
rà Templo egressus , redit ad Patriar-
cham ; à quo acceptis cum Benedictio-
ne Epistolis ad summum Pontificem ,
pergit ad portum, paratam navem con-
scendit , & Deo ita disponente , ventis
secundis , intra paucos dies Barium in
Apuliâ feliciter appulit , inde Romam
profectus , & ad Pontificis audientiam
admissus , offert suæ Sanctitati , litte-
ras Patriarchæ , totamque seriem le-
gationis suæ , exponit.

Sedebat tunc in Cathedra Beati Pe-

e

tri Urbanus II. Natione Gallus, Diœcœ-
sis Remensis, qui ex Cardinali Ostiensi,
sex annos ante Solitarii adventum, eve-
ctus fuerat ad Summum Pontificatum, ob
eximias virtutes universalis Ecclesiæ
Pastore dignas. Ab hoc Pontifice beni-
gnè exceptus est Petrus, imò tanquam
Angelo Dei, usus est illo Urbanus ad
promulgationem Belli Sacri, contra in-
fideles: quod Bellum ipsemet Urbanus
animo conceperat. Intimè enim con-
junctus fuerat Gregorio VII. qui an-
te viginti annos, decreverat ingenti
cum exercitu in hostes fidei primus
movere, ad quam expeditionem, qua-
draginta millia cruce signatorum nu-
merabat, qui parati erant militantis Ec-
clesiæ Caput sequi, contra communem
hostem Christianorum. Sed execrandum
schisma Henrici IV. Imperatoris
omnem hunc Belli Sacri apparatum, &
tam pios ac magnanimos conatus, bo-
ni Pastoris, pro Christi ovibus animam
ponere volentis, irritos reddiderat.
Extincto per Dei misericordiam, impio
schismate, Urbanus prædecessoris sui
zelo, pro liberatione populi Dei ac-
census: firmissimè statuit, totis viribus
agredi Bellum tam Sanctum, Divinæ

ce-
nsi,
ve-
m,
się
ni-
am
ad
in-
us
on-
n-
ti
us
a-
u-
c-
m
n-
ris
&
o-
m
t.
io
ui
c-
us
æ

Trinitati tam gloriosum , toti orbi
Christiano tam salutare ; quoque no-
minis, ac Pontificatus sui memoriam ,
immortalitati consecrare illustrius non
poterat.

Ad tanti moliminis opus non sine
Divino instinctu, ab Urbano assumptus
est Petrus, quem ut præcursorum suum
misit, ad omnes Principes Christianos ,
cum mandatis prædicandi ubique Bel-
lum Sacrum, contra infideles. Pontifi-
cis iussa summâ cum alacritate, promp-
titudine , & tam admirabili successu
executus est Petrus, ut unius anni spa-
tio peragratis præcipuis Provinciis, &
Urbibus Italiæ, Galliæ, Belgii , Ger-
maniæ, Poloniæ, majorisque partis
Europæ: Universè, tam Principes &
quam populi Christiani, nihil arden-
tius exoptarent, quam sub crucis vex-
illo, contra Nominis Christiani ini-
micos militare. Ex quo tam manife-
sto, divinæ virtutis effectu, constat,
quàm verè dictum sit ab Apostolo
gentium: quia non multos sapientes
secundùm carnem, non multo poten-
tes, non multos nobiles, sed quæ stulta
sunt mundi elegit Deus, ut confundat
sapientes ; & infirma mundi elegit

c 2

Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia, elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, & non glorietur omnis caro in conspectu ejus; sed qui glorietur in Domino glorietur, qui dat suis electis omnem victoriam.

§. II.

Urbanus II. convocat universale Concilium, ad Bellum Sacrum promovendum.

 Am visibili divinæ voluntatis manifestatione, recreatus, & ad summum istud opus urgendum excitatus Pontifex, zelo gloriæ Dei, & animarum salutis æstuans convocavit universale Concilium, Placentiam, anno millesimo nonagesimo quarto, initio Martis celebrandum: ad quod ipsemet Pontifex tanquam bonus Pastor, cum suis Cardinalibus se contulit. Nunquam in toto orbe Christiano, visus fuerat tam numerosus, omnium nationum frequentiâ congressus; ad quem constat confluxisse, usque ad quatuor millia Ecclesiasticorum, &

triginta millia laicorum: quorum de-
siderio ut satisficeret, voluit Pontifex,
ut ex septem sessionibus, per dies con-
tinuos, sibi succendentibus; prima, &
tertia in Campo magno haberentur;
exemplo Christi Domini, qui sequen-
tes se populos, in locis spatiis doce-
bat mysteria regni Dei. In unâ ex di-
ctis sessionibus, auditî sunt Legati Im-
peratoris Orientis Alexii Commeni,
quorum peroratione Urbanus, ut erat
mirabili eloquentiâ, eximiæ pruden-
tiæ & pietati conjunctâ præditus, om-
nium animos ita concitavit: ut pluri-
mi, solemni voto, & juramento, sese
obstrinxerint; usque ad sanguinis effu-
sionem, sub Crucis signo, pro suorum
salute militaturos. In eodem Concilio
damnata est hæresis Berengarii, ne-
gantis existentiam realem Corporis, &
Sanguinis Christi, sub speciebus Eu-
charisticis. Item hæresis novorum Ni-
colaïtarum, ablatique sunt multi ab-
usus, qui tempore schismatis, Eccle-
siæ militanti magnum vulnus inflixe-
rant.

Primo illo Concilio tam feliciter
absoluto, idem Urbanus, convocavit
Synodum Claromontanam, eodem

anno octavâ Sancti Martini , majori
adhuc successu celebratam: cui non
solum præfuit Pontifex , sed etiam Pa-
storalem Orationem ad omnes , in ma-
gnâ urbis Areâ congregatos habuit ,
tam divino spiritu animatam : ut ad-
stantes , suspiriis , gemitibus , singulti-
bus , manibus ad Cœlum elevatis , at-
que fusis lacrymis , Pastoris sui vocem
interrumpentes , quasi uno ore exclam-
averint , in hæc verba : *Deus vult ,*
Deus vult , Deus vult.

Quâ exclamatione surgens Ponti-
fex , & stans supra thronum suum , ge-
stibus silentio indicto , contestatus est
non posse peti à Deo evidentius suæ
voluntatis testimonium , publicâ illâ
voce omnium ore , & unanimi tot na-
tionum consensu prolatâ , iteratâ , con-
firmatâ . Addidit se vocem illam tan-
quam de Cœlo lapsam , velut Spiritus
Sancti oraculum recipere , quo de fe-
lici hujus Belli Sacri exitu , securi red-
deabantur : voluitque effatum illud ,
Deus vult , assumi in signum Tessera-
rium Belli Sacri , quo omnes Cruce si-
gnati , ad omnia fortia agendum , &
patiendum hoc solum intendentes ,
quod vult Deus , se se mutuo animarent .

Decrevit insuper ut singuli in hanc sa-
cram militiam adscripti, pro Tessera
militari, signum Sanctæ Crucis rubei
coloris super Scapulam dexteram im-
pressum, gestarent; denique in litte-
ris quas Papa Urbanus, de ista expe-
ditione scripsit ad Alexium Imperato-
rem Constantinopolitanum, traditur
tantam multitudinem hominum, Cru-
ce signatam fuisse, ut ad trecenta mil-
lia numerata sint.

Profecti sunt etiam cum Christianis
Principibus, & militibus nonnulli An-
tistites, inter quos, Ademarus Podien-
sis, Anicii Vellunorum Episcopus,
eminuit, Apostolicâ legatione subli-
mis, & cum illis Wilhelmus Arausii:
qui primi Cruce signati, alios eodem
sacro signo nobilitarunt. Item Bernar-
dus Archiepiscopus Toletanus, eodem
Urbani Papæ Classico excitatus, in
Terram Sanctam, hac Cruce signatus,
peregrinationem iterum aggressus est.

Sic absolutum est paucis mensibus,
summi moliminis opus, ad Dei glo-
riam, totiusque orbis Christiani ma-
ximum bonum: quippe per primam
illam expeditionem, Deo exercituum
præliante pro suis, Principes Christiani

cum militibus fidelibus, Turcis expul-
sis, totam Terram Sanctam, in pri-
stinam libertatem restitutam, Regi
Regum Christo, ut Sanguine suo ac-
quisitam hæreditatem, consecrarunt.

§. III.

*Urbis Hierosolymitanæ expugnatio per
Christianos Principes.*

Gloriosissima viætoria Cruce si-
gnatorum, & quasi tot pericu-
lorum, & præliorum Princi-
pum Christianorum, fructus, corona
ac præmium, fuit expugnatio Civita-
tis Sanctæ, Regiæ Regis Regum
Christi J e s u. Urbem illam omnibus
necessariis ad diuturnam obsidionem
sustinendam abundantissimè instru-
ctam, tuebantur quadraginta millia
militum præsidiariorum, cum viginti
millibus civium bene armatorum: exer-
citus verò Christianorum ex trecentis
millibus Bellatorum, redactus erat ad
viginti millia peditum, mille & quin-
gentorum equitum. Nihilominus Deo
exercituum hujus Belli auctore, cum
suis militibus pugnante, decima quintâ
Julii die Veneris, eâdem præcisè horâ,

quâ Christus in Cruce pro salute
humani generis expiravit, vi capta
est Hierosolyma, Saracenis inter-
necione deletis: in quam Urbem
irruptione facta, primus stricto gla-
dio ingressus est Godefridus Bul-
lionius, Dux Lotharingiæ; Prin-
ceps immortali gloriâ cumulandus,
dilectus Deo & hominibus; ob exi-
mias animi dotes, & virtutes sum-
mo Imperatore, ac Rege Christiano
dignissimas. Siquidem in illo emine-
bant pietas, modestia, prudentia, be-
nignitas, clementia, justitia, fides Or-
thodoxa, liberalitas, scientia militaris,
magnanimitas, fortitudo; quas omnes
virtutes perpetuò comitabatur felici-
tas, & universalis omnium approbatio,
heroicis actionibus comparata: qua-
propter omnium suffragio, ac unanimi
consensu & gratulatione Rex Hierosol-
ymitanus renunciatus est, anno Domi-
ni millesimo nonagesimo nono: nullus
dignior extitit, Regis secundum cor Dei
solum obtinere. Tot victoriis gloriosus
Rex piissimus æquè ac invictissimus,
tribus actionibus immortalitate do-
nandis, regni sui initia stabilivit. Pri-
ma, fundando Collegium Templario-

rum, & aliud Canonicorum Sancti Sepulchri, atque celebre Monasterium Religiosorum in valle Josaphat. Altera, occupando arcem Turris Davidis, quam sibi tradi voluit tanquam Urbis propugnaculum, frustra reluctante Comite Tolosano. Tertiâ fuit victoria, omnium memoriâ sacerdorum praedicanda. Soldanus Ægypti properabat Jerosolymam, cum exercitu trecentorum peditum, & centum millium equitum. Vix viginti millibus constabat exercitus Christianorum, qui tandem Rege praeeunte, & Deo pro suis praeliante, tanto impetu in hostes irruerunt; ut Saracenorum exercitu profligato, omniue ex parte deleto ac contrito, vix cum paucis fese, turpi fugâ è victorum manibus eripuerit ferox Soldanus. Stabilitis, per tot illustria facinora, novi regni fundantis: factâ solemni gratiarum actione ante gloriosum Christi Sepulchrum, Regi sacerdorum immortali soli Deo, honorem & gloriam reddi voluit, cui etiam Regiam coronam obtulit, Rex ille piissimus & fortissimus.

Quoniam dum triumphat Jerosolymis Victor Crucigerorum exercitus, paucos post dies Romæ migrat, ex mortali hac vitâ ad æternam; auctor & Dux hujus primi Belli Sacri Urbanus II. Pontificatus optimè perfunctus, rebus omnino sedatis, munitionibus recuperatis, civibus omnibus, sibi conciliatis, paceque diu exule restitutâ, atque ipsa Ecclesiâ Catholicâ in tranquilliores statum vendicatâ: mortuus est autem quarto Calendas Augusti, anno quarto ab hac prima expeditione, quam modis omnibus promoverat: eruptus est anno duodecimo sui Pontificatus, ingenti bonorum omnium dolore, malorum verò summa gratulatione; ac potissimum ipsius schismatici Antipapæ Guiberti, exultantis atque insultantis pariter, quod tres ipso vivente, atque in Petri Cathedrâ considente, ut vanè gloriabatur, Deo vindice essent extinti Pontifices, Gregorius VII. Victor III. atque ipse Urbanus II. sic exultant impi in rebus pessimis, igno-

rantes, quia in diem vindictæ servantur.

Pertinet verò ad Urbani triumphum, quod eodem tempore, nempe, die decima-quinta Julii hujus anni 1099. contigit capi Hierosolymam, ab exercitu Christiano, sub Godefrido: cuius Sanctæ expeditionis, cum idem Urbanus auctor, & promotor extitisset, in Cœlo meruit triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor.

§. V.

Godefrido Regi succedit Balduinus.

Banno sequenti, id est, 1100. septimo Calendas Augusti, ex terreno regno, ad cælestè evocatus est Godefridus Bullionius, Regum optimus, Principum piissimus, Heroüm Christianorum fortissimus, omnibus eximiis virtutibus exornatus. Illi subrogatus est, ejus Frater Balduinus, qui Godefrido natu majori, in omnibus longè inferior, in multis offendit, inter cætera; ut scribit Willemus Tyrus, ipse reluctantate Daiberto Patriarcha, Ecclesiæ Hierosolymi-

tanæ jura usurpando , sibi quæ Dei
sunt tribuendo , talibus exordiis mala
jicit sui regiminis fundamenta : iram
quippè offensi Numinis in se convertit;
nec nisi cum labore , & dolore regna-
vit : nunquam enim Principes , sibi in-
felicius consulere , quam dum Eccle-
siastica jura deprimunt , innumera do-
cuerunt exempla. Inter quæ memoriâ
dignum , quod hoc eodem anno , die
secunda mensis Augusti , Willelmus
Rex Anglorum , perturbator Eccle-
siasticæ libertatis (cuius causâ Sanctus
Anselmus Cantuariensis Archiepisco-
pus , jam triennium exul Lugduni in
Gallia tunc agebat) pluribus ante de-
territus iræ Dei signis , atque prodi-
giis ; in venatione sagittâ in cervum à
quodam ex Comitibus emissâ percussus
periit ; quem triduo ante Sanctus Hu-
go Cluniacensis Abbas , apud thronum
Dei accusatum , judicatum , &
condemnatum vidit , ipsique prænun-
tiavit Anselmo : cui & alia sunt divini-
tus ostensa de codem interitu Regis :
quod si tali meruit sententiâ condem-
nari , Catholicus Princeps , ob unius
dumtaxat Episcopi extorris injuriam ;
qualenam judicium sunt habituri , qui

omnes Anglicanos Orthodoxos Episcopos, & Sacerdotes, sive ferro, sive exilio consumperunt; & alias injurias nefandas ipsis Ecclesiis intulerunt.

Quantis igitur & quam horrendis suppliciis, atque cruciatibus in æternum torquebuntur, illi Schismatici Imperatores; qui non solam Græcam Ecclesiam, sed omnes Orientales, & plurimas Occidentales Ecclesias, à gremio Romanæ, in qua solâ salus, avulsas secum in æternæ damnationis, Barathrum pertraxerunt? Contra vero, quam immensos gratiæ & gloriæ Æternæ Thesauros, ab optimo remuneratore Deo obtinuerunt, Christianissimi illi, & pientissimi Imperatores, Reges, & Principes, qui armis suis victricibus militantem Ecclesiam propugnando, tot Ecclesias, & tot centena fidelium millia, in libertatem Dei assurerunt? sicut enim nihil est Deo gloriosius, Ecclesiæ Christi utilius, omnibus fidelibus Christianis desiderabilius, piissimis, & potentissimis Regibus; sic nihil est toti orbi Christiano perniciosius, iis qui suâ potestate, data illis divinitus in ædificationem, per summum scelus abutuntur in destru-

ctionem, & ruinam suam, & suorum;
hi sunt de quibus scriptum est: Poten-
tes potenter tormenta patientur.

Utinam omnes Reges, & Princi-
pes Christiani, quibus supra-
stas data est, ab Omnipotente, ut vo-
luntati ejus obsequentes, ipsi serviant
in illis, quæ non possunt facere nisi
Reges, hanc Regalem veritatem in
cordibus suis impriment?

„ Nimirum, non posse Reges si-
„ deles sibi ipsis, suæ posteritati, &
„ suis subditis meliori modo consule-
„ re: quam unico visibili militantis
„ Ecclesiæ Capiti, JESU-CHRISTI
„ in terris Vicario adhærendo, totis
„ viribus inimicos Orthodoxæ fidei
„ conterere?

Quis mihi dabit ut hoc Verbum, die
Conversionis Sancti Pauli Gentium
Apostoli, exaratum; in omnium Chri-
stianorum Principum auribus loquar?
& tam altè in Regalibus illis mentibus,
digito Dei impressum permaneat; ut
nullo unquam errore expungatur,
nullâ iniquitate deleatur, nulla obli-
vione oblitteretur? tuum est hoc opus
o Divina Trinitas, in cujus manibus
sunt omnium Regum corda? hanc illis

mentem inspirare digneris, ad gloriam
Nominis tui, ad ipsorum salutem tem-
poralem & æternam, atque ad totius
militantis Ecclesiæ utilitatem, ut de-
structis erroribus, iniquitatibus, &
adversitatibus, ad portum Æternæ fe-
licitatis perveniant.

§. V I.

Continuatio Belli Sacri.

Vrbani secundi Apostolicum ze-
lum, pro recuperatione Ter-
ræ Sanctæ; æmulati sunt suc-
cessores ejus Romani Pontifices, si-
quidem ab Urbano II. usque ad Inno-
centium XI. hodiè in Beati Petri Ca-
thedrâ sedentem, numerantur triginta
Pontifices maximi; qui hoc Bellum
Sacrum, magnis animis prosecuti sunt,
per sex alias expeditiones subsequen-
tes.

Secunda expeditio in Terram Sanctam
facta est anno millesimo centesimo qua-
dragesimo sexto, sub Eugenio III. cu-
jus jussu Sanctus Bernardus, Sacram
militiam ubique prædicavit, Domino
cooperante, & Sermonem confirman-
te innumeris signis, atque prodigiis.

Hujus

Hujus viri Apostolici adhortationibus
Ludovicus VII. Rex Galliarum ,
Conventum apud Verzelacum cele-
bravit , Crucem ab eodem Sancto
sumpsit , unà cum multis aliis Princi-
pibus , & Optimatibus regni sui , quos
tam ingens populi multitudo secura
est , ut vacuarentur urbes & castella.
Eiusdem Sancti Bernardi hortatu
Conradus , Romanorum Rex , æquè
Crucem unà cum fratre suo Henrico ,
Duce Noricorum , aliisque Principi-
bus , & plurimis Nobilibus , accepit :
quibuscum etiam signati sunt nonnul-
li Episcopi , atque inter alios ipse Otto
Frisingensis , virtutibus & meritis
clarus.

Tertia expeditio inita est anno mil-
lesimo centesimo octogesimo octavo ,
sub Clemente III. post occupatam à
Saladino magno Jerosolymam : dictus
Pontifex in locum defuncti Gregorii
VIII. electus , statim indictam à de-
cessore suo expeditiōnem in Terram
Sanctam , ad perfectum ducere labo-
ravit , & Indulgentiam confirmavit ,
statuens , ut quicumque cā de causā ,
i

Sacram Crucem susciperet, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confessus esset, liber esset, & absolutus. Idemque statuit ut ab universâ Ecclesiâ fieret sine intermissione oratio ad Dominum de pace, & liberatione Hierusalem, & Christianorum captivorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Addit Rogerius Anglus, habito apud Gisortium duodecimo Calendas Februarii Conventu Regum Franciæ & Angliæ, cum suis Prælatis, & Baroniis; cui etiam interfuit Archiepiscopus Tyri: adeo hujus præstantissimi viri oratione, illos commotos esse, ut depositis mutuis inimicitiis, consenserint de manu ejus Crucem accipere; eademque horâ apparente signo crucis in Cœlo, eo viso miraculo cæteros catervatim ruisse, ad susceptionem Crucis. Ipsos vero Reges in suorum militum distinctionem, Crucis colorem variasse; ita ut Rex Franciæ cum suis Cruces rubeas, Rex Angliæ albas, & Philippus Comes Flandriæ, virides susceperint; ac post hæc unumquemque ad parandas res necessarias reversum esse ad sua. Extat de-

cretum impositionis decimarum ; à
Philippo Francorum Rege , assensu
Episcoporum sanctum: quas & Sala-
dinas vocant, ob Bellum adversus Sa-
ladinum indictum; sed quod ejusmo-
di earundem decimarum pensitatione,
plurimū gravarentur Ecclesiæ, at-
que pauperes angustiarentur, scripsit
Petrus Blesensis, insignis pietatis, do-
ctrinæ, atque zeli Christiani Vir, epi-
stolam ad Episcopum Aurelianensem,
hortans ut se Regi talia præscribenti
obiceret; prorsus dignam, quam le-
gent illi, qui quovis prætextu farent
Regibus adversus pauperes, & Eccle-
sias; cum multis auctoritatibus, exem-
plis atque rationibus, è Sacra Scriptu-
ra petitis demonstret; Non debere eos
„ qui pro Ecclesia pugnant, Matrem
„ suam Ecclesiam spoliare, sed potius,
„ inimicorum spoliis, donis triumpha-
„ libus illam ampliare , & nunquam
„ pauperum, nunquam Ecclesiæ spo-
„ lia prosperum , habuisse eventus
„ auspicium.

Quarta expeditio suscepta est, anno
millesimo nonagesimo quinto ; sub

i 2

Cælestino III. post mortem Saladini, inter cujus filios conflatâ discordiâ; Pontifex datâ occasione prudenter utens, & ferventi studio promovere fatagens, negotia Terræ Sanctæ, misit per Christianum orbem Legatos ut cunctos Principes, & populos ad novam hanc expeditionem contra inimicos Crucis Christi excitarent; quam expeditionem majori cum affectu, & apparatu, quam felici exitu ab Imperatore aliisque Germaniæ Principibus peractam fuisse, scribunt Historici illius temporis.

Quinta expeditio publicata est, anno millesimo ducentesimo decimoquinto, sub Innocencio III. Per hunc laudatissimum Pontificem, celebratum est generale Concilium Lateranense, quod magnum vocant; fuit enim omnium quæ unquam in Europâ habita sunt celeberrimum: cui videlicet interfuerunt, cum Innocentio Papâ Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Piores Conventuum octingenti. Quos inter extitère Patriarchæ Constanti-

dini,
diâ;
nter
vere
nisit
s ut
no-
mi-
am
&
pe-
bus
rici

an-
no-
inc
ra-
ra-
uit
pâ
li-
Pa-
o-
n,
os
si-

nopolitanus, & Hierosolymitanus;
atque Alexandrini, & Antiocheni
Legati; itemque Oratores Imperato-
rum, Orientis, & Occidentis, Re-
gum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hie-
rosolymorum, & Cypri. In illa Syno-
do, doctrina & nomenclatura, *Trans-
substantiationis Panis & Vini*, in Cor-
pus & Sanguinem J E S U - C H R I S T I,
in Sacrificio Missæ confirmata est: de-
nique in hoc Concilio ipsemet Ponti-
fex, accepto hoc themate: *Desiderio
desideravi hoc Pascha manducare vo-
biscum*; tantâ vi Divinæ eloquentiæ,
omnes ad Bellum Sacrum adhortatus
est; ut nullus esset, qui Universalis
Ecclesiæ Pastori, totis viribus præsto
esse non satageret. Sub eodem Pontifi-
ce, inter Philippum Augustum Fran-
corum, & Richardum Angliæ Re-
ges, pactæ sunt quinque annorum in-
duciæ: & à Gallis Venetisque arctio-
ri inito fœdere, capta est Constanti-
nopolis, & consensu Principum Bal-
duinus Flandriæ Comes, electus ac
coronatus est Imperator Orientis anno
1204. die 6. Maii, aliisque Principes
diversas Provincias, & insulas inter se

partiti sunt. Sed sub Balduino Puerō anno 1229. Urbs iterum occupatur à Græcis , tandemque Deo perfidiam Imperatorum Græcorum ulciscente, Constantinus XV. anno 1445. necatur in expugnatione Urbis à Mahomete, & concidit penitus Imperium Constantinopolitanum , ipsaque Urbs occupatur à Turcis. Totam Palestinam, facile in suam potestatem rediget: qui prius Constantinopolim è Turcorum manibus eripiet.

Sexta expeditio in Terram Sanctam inchoata est, anno millesimo ducentesimo decimo-septimo ; sub Honorio III. & Gregorio IX. estque protracta, usque ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum quartum; quo tempore capta, & eversa est, ab infidelibus Civitas Sancta , & omnia Sacra-loca prophanata.

Denique septima & ultima expeditio in Terram Sanctam instituta est, anno millesimo ducentesimo quadragesimo octavo , sub Innocentio IV. à quo Sanctus Ludovicus Christianissi.

morum Regum Gloria; declaratus est
in Concilio primo Lugdunensi, Dux
Belli Sacri: idem Pontifex missis Le-
gatis suis ad Christianos Principes,
eos hortatus est, ut Sancti Regis si-
gna, & castra ad Bellum Sacrum se-
querentur. In eâdem Synodo bonus
Pastor, omnibus suis ovibus compa-
tiens, dolores suos comparavit Christi
in Cruce pendentis cruciatibus, ob
quinque gravissima vulnera militanti
Ecclesiæ inficta. Primum, ob horren-
dos abusus, & corruptissimos mores
Ecclesiasticorum illius sæculi. Secun-
dum, à crudeli tyrannide Sacraceno-
rom, qui Sanctam Civitatem omni-
bus sacrilegis abominationibus pro-
phanaverant. Tertium, ex schismate
Græcorum, quorum potentia Con-
stantinopoli, & toti Imperio Orien-
tali ultima mala minabatur. Quartum,
perfuriosam irruptionem Tartarorum,
qui totâ Hungariâ occupatâ, omnes
Germaniæ fines, ferro flammisq[ue]
devastabant. Quintum, denique vul-
nus, cæteris profundius, atque My-
stico Corpori Christi perniciosius;
erat sævissima persecutio Friderici se-

cundi Imperatoris, qui Ecclesiæ Catholicae viscera dilacerabat.

In tantis Ecclesiæ malis, unus Sanctus Ludovicus à Deo electus est, ut omnium esset fidelium consolator, & Romanæ Ecclesiæ adjutor in opportunitatibus: Rex ille piissimus, sapiens, justus, magnanimus, bonus omnibus, Regalibus virtutibus Christianissimi Principis, & summi Imperatoris ornatus, bis cum selectorum virorum exercitibus, mare trajecit: bis Saracenos acie instructâ profligavit, multas infidelium urbes expugnavit, plures Christianorum Civitates, in Palestina suis sumptibus restauravit; etiam in vinculis viator, hostibus fidei, in tantâ veneratione fuit: ut eum unanimi consensu in suum Imperatorem elegissent, nisi Christiana Religio, quam palam in medio inimicorum Crucis Christi, Rex Christianissimus, intrepidè profitebatur, illorum voluntati restitisset. Sic omnibus imperant, Reges Pii & magnanimi, qui nil timent, nisi Dei offendam; nil desiderant, nisi illi in omnibus placere. Sede Romanâ jam

duos annos vacante ab obitu Clemens IV. Rex Ludovicus in summis periculis intrepidus, ipse solus novo exercitu comparato, totam Belli mollem in Africam vertens, debellatis acie Barbaris, Carthaginem capit, & dum Tunetum obsidet, exorta in castris pestilentia, ipsum etiam è medio aufert. Ita decebat Christianissimum Regem, zelo majoris Dei gloriae æstuante, inimicos Crucis Christi, oppugnando, expirare: ut cum Rege Regum, regnaret in perpetuas Æternitates.

Post Sancti Regis obitum, nullum habuit Romana Ecclesia, qui Christianissimum ejus zelum pro Terræ Sanctæ, liberatione sit æmulatus. Verum quidem est Gregorium X. ex Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis, semper fidelis, obedientissimæ, ac optimæ Filiæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad supremum Pontificatum assumptum; Prædecessorum suorum desideriis novas flamas addidisse, omniaque tentasse ut Principum Christianorum animos, suo igne accende-

ret. In hunc finem convocavit secundum Concilium Lugdunense, ad quod mille Prælati, ex quibus quingenti Episcopi, convenerunt, cum Legatis duorum Imperatorum Orientis, & Occidentis: Regis Galliæ, Regis Cypri, & Principum totius Europæ, ac transmarinorum: ipse Rex Aragoniæ Jacobus, duo magni Magistri Ordinum Templariorum, & Hospitaliorum, huic Synodo adstiterunt.

In hoc Concilio factum est decretum pro Bello Sacro, & initum fœdus cum Abagâ Rege Tartarorum, qui Legatum suum miserat ad Synodum; à quâ Michael Paleologus, pro legitimo Imperatore Orientis est habitus, ut Latinis contra Suldanum Ægypti se adjungeret; confirmata est electio Rudolphi in Imperatorem Romanorum, eâ conditione; ut ipsem et Cruce signatos duceret in Palestinam; quod Pontifici, cum juramento promisit, & à quo Crucem accepit: nihilominus omnes illos apparatus ad Bellum Sacrum, & optimi Pastoris conatus omnes irritos reddidit, ad

nihilum rededit, discordia inter Re-
ges Galliæ & Angliæ. Adeo verum est,
nullum majus detrimentum pati Ec-
clesiam Dei, quām à dissidiis Christia-
norum ; ideo Turca modis omnibus
satagit seminare zizania inter fideles
Principes. Scit enim inimicus ille
Christianorum , vigilantissimus in
fidelium perniciem, Imperium suum
tyrannicum, stare non posse, si Chri-
stiani Principes, Sacro fœdere inter se
uniti ; & summo Pontifici adhærentes,
illum ut communem hostem undique
oppugnarent. Quamobrem omni de-
siderio expectanda , & humillimis ac
piissimis precibus , à Deo exercituum
per Jesu nomen flagitanda est, octa-
va Expeditio Principum Christiano-
rum, quæ præcedentium errata emen-
det, & primæ , divino instinctu sus-
ceptæ , felicem exitum non adæquet
modò , sed absolvat, ac coronet. Quis
porrò ad tam arduum opus idoneus ?
quis poterit Terram Sanctam, è ma-
nibus potentissimi , & sævissimi Chri-
stianorum hostis eripere ? cito respon-
deo ; ille poterit , quem Omnipotens

elgere dignabitur : Dei enim proprium est dignum , & idoneum redere , quem eligit.

Sic anno primo Cyri Regis Persarum , ut compleretur Verbum Domini ex ore Jeremiae ; suscitavit Dominus Spiritum Cyri , Regis Persarum : & dixit Cyro quem elegit , Pastor meus es , & omnem voluntatem meam complebis , & dixit Jerusalem ædificaberis : & Templo , fundaberis , *Isaï 44.* quod & factum est . Surrexerunt enim , Deo inspirante , Principes Partum de Juda , & Benjamin ; & Sacerdotes , & Levitæ , & omnis , cuius Deus suscitavit Spiritum , ut ascenderent ad ædificandum Templum Domini , quod erat in Jerusalem : omnia regna terræ dedit Cyro Regi infideli , Deus Cœli ; & præcepit illi ut ædificaret Deo quem non adorabat , Domum in Jerusalem , quæ est in Iudeâ : Obedivit voci Dei , quem non cognoscebat , Rex Ethnicus : reddidit Rex Cyrus omnia Vasa Aurea , & Argentea , quinque millia quadringtona , quæ tulerat Nabuchodonosor

de Jerusalem , & quæ posuerat in
Templo Dei sui; universa hæc Rege
Cyro jubente , retulit in Templum
Domini Sassabasar; cum his qui ascen-
derunt de transmigratione Babylonis
in Jerusalem, ut dicitur *Lib. 1. Esdræ*
Cap. 1. Qui Regum Paganorum corda
in manibus habet , & quò vult inclinat
ad gloriam sui Nominis : nunquid
Christianorum populorum preces , &
totius Ecclesiæ suæ militantis vota
non exaudiet? Absit, JESUS-CHRIS-
TUS, heri & hodie, ipse & in sæcula
semper vivens , & vigilans ad salutem
electorum suorum , dives in omnes
qui invocant Nomen ejus ; suscitavit
certis temporibus Cyros , & Davides
Christianos , Imperatores , & Reges
ac Principes Catholicos , & piissimos ,
qui zelo fidei & Religionis inflamma-
ti, Regiæ Domus claritatem , Sce-
ptrum , opes , & propriam vitam , pro
gloriâ Crucis ; & pro Imperii ejus pro-
pugnatione , atque propagatione con-
secraverunt.

Pro hac igitur octavâ Expeditione
in Terram Sanctam, Christi sudori-

bus, & toto Sanguine aspersam, ab
irrigatam, oret instanter omnis San-
ctus, in hoc tempore opportuno: om-
nia omnino Ecclesiæ militantis mem-
bra, visibili suo Capiti unita, conspi-
rent ad tanti operis consummationem:
omnes Reges & Principes Christiani,
uno animorum consensu, firmo pacis
sœdere stabilito, communi fidelium
omnium Patri, contra communem
hostem; sic adhæreant in hoc Bello
Sacro prosequendo; ut Deo cum illis,
& pro illis pugnante, superbum Chri-
stiani Nominis inimicum, non solùm
è suis finibus expellant, sed Turci-
cum Imperium funditùs evertant.

Suscitet Dominus omnipotens hoc
anno omnium Principum Christiano-
rum animos, ut totis viribus commu-
nem hostem adoriantur; tantoque
impetu, è diversis locis, in illum ir-
ruant, ut Deo impellente, ferox ini-
micus Christiani Nominis, ruat &
corruat in sempiternum interitum.
Orandus est Deus exercituum, ut ex-
citet in primis, magnanimum Spir-
itum Ludovici Magni, cuius trium,

phi, toto orbe noti, & facta mirabilia, Nomine majora, eundem fore, maximum pollicentur, si summo Christi in terris Vicario semper Christianissimè adhærendo; communem Christianorum hostem, victricibus suis armis, Deo auxiliatoe, depri- mat, atque conterat.

Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, Regnum jura, & Regum corda; res- pice in auxilium Christianorum, ut gentes Turcarum, quæ in suâ feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiam con- terantur: omnesque fideles inter se, & cum unico Ecclesiæ militantis Capi- te, tam arcto unitatis, veritatis, & chari- tatis vinculo constringe: ut in toto orbe Christiano, sit unum ovile, & unus Pastor: & in uno Spiritu tendamus omnes ad te Deum, unum, trinum; qui solus eris omnia in omnibus electis, in Deo J e s u nostro, Salvatore omnium hominum, maximè fidelium. Amen,

BELLUM SACRUM
BIPARTITUM.

Summarium Partis Primæ.

Exponuntur summa Religionis Christianæ Mysteria; per Verbum Incarnatum, in Terrâ Sanctâ, consummata: per Apostolos prædicata, per Prophetas prænuntiata: unde eruuntur motiva, quibus omnes fideles in Sanguine Christi renati, ad hoc Bellum Sacrum compelluntur: in quem finem, producuntur gesta præclara Romanorum Pontificum, & illustriora facinora Imperatorum, Regum, Principum, & Heroïum Christianorum, qui, pro Christo, & ejus Ecclesiâ, opes, arma, & propriam vitam cum immortali sui Nominis gloriâ, & honore, consecrarunt: deteguntur etiam varia obstacula, & errata in præcedentibus Expeditionibus; & suggeruntur media efficacia, ad feliciorem Belli Sacri exitum Deo auspice, consequendum.

Altera pars Belli Sacri,
Continet exercitia militaria Christianæ pietatis, ad omnia utilis.

B.R.E.

BREVIS EXPOSITIO
BELLI SACRI.

CLANGOR, ET ANGOR,
CLAMOR, ET AMOR,
PROPHE TARUM,
APOSTOLORUM,
ET IPSIUS VERBI INCARNATI
J E S U - C H R I S T I
Salvatoris omnium hominum
maximè Fidelium.

Hoc est,

BELLUM SACRUM
ECCLESIÆ MILITANTIS

*Contra Turcum, communem hostem Christi
stiam Nominis, inimicum crucis
Christi, cuius finis interitus.*



UDIANT ergo fideles, intelligant & conferant in corde suo verba hæc Prophetarum, Apostolorum,

A

imò ipsius Verbi Dei increati, & Incarnati Exhortatoria ad Bellum Sacrum. Audiant Boni Filii optimæ Matris Ecclesiæ militantis clamores, & gemitus, quæ plorans plorat amarissimis lacrimis, filios suos; Divini Sponsi sanguine redemptos, sub infami æquè ac crudeli Turcarum tyrannide, premi, opprimi, conteri. Quot sunt qui consolantur eam ex omnibus charissimis ejus? Quantus amor, tantus dolor. Interrupunt vocem dolor & lacrymæ, filii mei pugnaverunt contra me, dilaceraverunt omnia viscera mea. Exurge Christe Rex Regum & Domine Dominantium: exurge in adiutorium sponsæ tuæ, & filiorum ejus, quos proprio sanguine redemisti. Exurge Deus exercituum, adjuva nos, & libera nos Deus salutaris noster; effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & nomen tuum non modò non invocaverunt, sed etiam blasphemant totâ die. Fugiant inimici tui à facie arcûs; fac potentiam in brachio tuo, & duplii contritione contere eos; unâ quidem sævissimam illorum tyrannidem evertendo; alterâ

conquassata ipsorum capita sub jugo
Evangelii tui inclinando, & corda infi-
delium ad te convertendo : ut sciant
gentes, quia non est aliis Deus præ-
ter te: & juxta Regis Prophetæ oracu-
lum dicant omnes in nationibus, re-
gnavit à ligno *Jesus, Deus homo.*

*Verba exhortatoria ad Bellum
Sacrum.*

1. **F**inis venit, venit finis super qua-
tuor plagas terræ. *Ezech. c. 7.*
2. Dies tubæ & clangoris super Ci-
vitates munitas. *Sopho. I.*
3. Nova Bella elegit Dominus. *Ju-
dic. 5.*
4. Confortamini filii Benjamin in
medio Jerusalem, levate vexillum,
clangite Buccinâ : levate signum in
terrâ, clangite Buccinâ in gentibus,
sanctificate super eam gentes. *Jerem.*
6. & 51.
5. Accipe sanctum gladium munus
à Deo, in quo dejicies adversarios po-
puli mei Israël. *2. Machab. 15.*
6. Accipe Galeam salutis, & gla-

A 2

4.
dium spiritūs, quod est Verbum Dei.
Ephes. 6.

7. Vivus est sermo Dei & efficax,
& penetrabilior omni gladio ancipiti.
Hebr. 4.

8. Nolite arbitrari quia pacem veni-
mittere in terram; non veni pacem
mitte, resed gladium. *Matth. 10.*

9. Cœpit Jesus prædicare, & dice-
re: Pœnitentiam agite, appropinqua-
vit enim regnum Cœlorum. *Matth. 4.*

10. Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium omni creatu-
ræ: qui crediderit & Baptizatus fue-
rit salvus erit. Qui verò non credide-
rit, condemnabitur. *Matth. 7. v. 10.*

11. Data est mihi omnis potestas in
cœlo & in terrâ: euntes ergo docete
omnes gentes, Baptizantes eos in no-
mine Patris & Filii, & Spiritus San-
cti; docentes eos servare omnia quæ-
cumque mandavi vobis: & ecce ego
vobiscum sum usque ad consumma-
tionem sæculi. *Matth. 28.*

12. In mundo pressuram habebitis, sed
confidite, ego vici mundum. *Ioan. 16.*

Ex his Prophetarum, Apostolo-
rum, & Jesu-Christi disertissimis ver-

bis liquidò constat unicum finem omnis Belli Sacri esse salutem populi, conversionem & sanctificationem mundi. Ideò enim Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Propter hunc finem unigenitus Dei Filius descendit de sinu Patris, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis. Quam ob rem oportet omnes quidem fideles, sed maximè maximos Pontifices, Reges & Principes Christianos, totis viribus in tantum opus incumbere; ne pereant in nostrâ scientiâ tot centena animarum millia, pro quibus Christus mortuus est. O Trinitas Divina! sicut tuorum minimo hanc mentem inspirasti; sic Potentioribus majorem infunde charitatem, ad consummationem gloriæ tuæ in universo orbe terrarum; ut sciant omnes gentes, quia tu solus es Deus, unus, trinus, optimus, maximus, omnipotens.

Utinam ardentera tuorum adoratorum desideria, & sanctiora vota exaudiens, cantemus omnes gloriose Deo unítrino canticum novum novi Ho-

6.

minis, qui in Throno suo Eucharisti-
co substantialiter residens, nova facit
omnia! Adimple fideles tuos novâ læ-
titiâ cum vultu tuo, fac delectationes
tuas novas in Dexterâ tuâ usque in
finem. Ab ortu solis usque ad occasum
magnum sit nomen tuum in gentibus,
& in omni loco sacrificetur & offera-
tur nomini tuo oblatio munda, oblatio
Agni Dei Immaculati Jesu-Christi, qui
tollit peccata mundi. Amen.



DEO UNI TRINO
SANCTISSIMÆ TRINITATI
INCREATÆ, ET INCARNATÆ.

I N
CHRISTO JESU,
DEO HOMINE; SALVATORE
OMNIUM HOMINUM,
MAXIME FIDELIUM:
TRINUM ET UNUM,
PROPHETARUM,
APOSTOLORUM,
ET OMNIUM CHRISTIANORUM
Desiderium, Votum & Jubilum.

Tres sunt qui Testimonium dant in Cœlo, Pater,
Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum
sunt. *Ioan. 5.*

Multifariam, multisque modis, olim Deus
loquens Patribus in Prophetis: novissimè die-
bus ipsis locutus est nobis in Filio, quem con-
stituit hæredem univèrsorum, per quem fecit
& sœcula. *Hebr. 1.*

BN tibi ô Sanctissima Trinitas
unus Deus, numerosus quaterno-
rum Cherubinorum ternio, qui

A 4

triplici quaternarum vocum choro te celebantes, consono dissonarum linguarum concentu cum Apostolis totaque Ecclesia quam acquisivit Christus Jesus sanguine suo, & Sanctis Angelis ac Seraphinis jugiter una voce acclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; Deus unus & Trinus. Pleni sunt Cœli, & universus terrarum orbis gloria & maiestate tuâ ô Beata Trinitas Sancta & una Deitas. Tibi soli Deo unito omnis honor, amor, & gloria in Eternum. Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno. Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum. Amen.

Hicè Canticis spiritualibus, Hymnis & Acclamatiomibus Beatorum Spirituum: duodecim Prophetæ veteris Testamenti, & duodecim Apostoli novæ legis, atque omnes Christi fideles Divinæ Triadis tuae adoratores in spiritu, sancti amoris, timoris casti, & veritate fidei orthodoxæ; unanimiter succinunt, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis; plena est omnis terra gloria

Majestatis tuae, ô indivisa Trinitas una
 Divinitas! Deus omnipotens Creator
 omnium. Ita Sanctus Ignatius tertius
 à Petro Antiochenus Episcopus, visionem
 Angelorum, per Responsorios Hymnos
 Sanctam Triadem laudantium vidit, &
 modum visionis Antiochenæ Ecclesia tra-
 didit, unde ad omnes Ecclesias orbis Chri-
 stiani, ista traditio emanavit. Et hæc
 est ratio Hymnorum responsiorum, que
 in Divino Officio canit universa Eccle-
 sia; in perpetuas laudes Adorandæ Tri-
 nitatis, ut in Cœlestem Sanctorum men-
 tum occupationem semper intenta. Ni-
 mirum nullum est otium illo beatius,
 nullum gloriiosius, & utilius. Quique
 semel in Divinitatem se mersit animus,
 non nisi ejus deliciis & laudibus pasci-
 tur. In quibus proinde recitandis & ex-
 plicandis, sanctissima individua Trini-
 tati sit omnis honor, Ecclesia decor, le-
 ctoribus & auditoribus sapor, scriptori-
 bus, & praconibus verbi Divini labor;
 omnibus piis candor, splendor, ardor lu-
 cis Aeterna.

Hoc tandem est Trinum perfectum,
 trinum & unum Beatorum Spirituum;
 in triplicem ternionem ordinatorum,

Æternum otium : Hoc trinum & unum
Prophetarum, Apostolorum, & omnium
Christianorum spiritualium Jubilum,
desiderium & votum. Videlicet Te Deum
unum trinum, Patrem, Filium, & Spi-
ritum sanctum; Principium & finem,
ac summum omnium bonum : facie ad
faciem videre, ex toto se super omnia
diligere, possidere in se ipsis; & in Æter-
num te frui, quippe à te solo & pro te solo
creati, atque in te solo beati. Qui só-
lus es omnia in omnibus tuis electis, in
Dilecto dilecto Deo Jesu nostro. Amen.

Utinam ô adoranda Trinitas! omnes
gentes ad imaginem & similitudinem
tuam formatae, & Christi Jesu Dei ho-
minis Sanguine redemptae, ad agnitionem
tui Nominis victricibus armis Prin-
cipum Christianorum, & novit tui E-
vangelii Prædicatione, sic adducantur,
ut te unum Deum, in substantia Divi-
nitatis, trinum in Personis Divinis,
adorent; in eodem spiritu Sancti amoris
& timoris tui nominis & in veritate,
eiusdem fidei Catholicae. Ideò sancta
Christi Sponsa, Spiritus tui impulsu, obse-
crationes, orationes, postulationes sine
intermissione, tibi offert pro omnibus,

Sciens hoc bonum & acceptum esse coram te Deo, uno, trino, optimo, maximo, potentissimo, qui neminem vis perire, sed omnes ad agnitionem tui nominis vocas, qui omnium Creator es, omnium Salvator, omnium amator; diligens omnia tua opera.

Te igitur in uno spiritu Christianæ charitatis obsecramus omnes: ô Conditor omnium, & Deus universorum ac singulorum: ut sicut nova bella, nova arma, nova Sacramenta, omnia nova non ad eversionem aut damnationem, sed ad conversionem gentium elegisti, sic per hæc arma lucis triumphes, conteras, ter nos tuos, Prophetarum, Apostolorum, & Ecclesiae Catholice hostes, cæcos gentiles, incredulos Judeos, pertinaces hereticos: in primis vero Turcas ex triplici illa inferorum colluvie mixtos, inimicos sævissimos nominis Christiani, tuis fulminibus quatias: prodromos inquam & precursores hominis peccati Antichristi, quæ Dominus noster Jesus-Christus interficiet spiritu oris sui. & coruscatione adventus sui. In hos ergo Deus exercituum, justam iram tuam acue in triplicem lanceam, ut gentes Turcarum qua in sua

feritate confidunt, dexteratuae potentia
conterantur & ad te convertantur, ut tu
solus Deus, unus trinus per Christum &
in Christo ubique regnes. His desideriis,
precibus, & votis tuorum fidelium citius
annue; exaudi hæc pia tuorum vota,
o Sanctissima Trinitas, una Deitas.
Amen.





NUMERUS PRIMUS.

*Tres eximii Principes Christiani, initio
Crucis Christi domitores:
Sigismundus III. Polonie Rex,
Ludovicus XIII. Galliarum Rex,
Ferdinandus II. Romanorum Imperator.*

§. I.

Deu*s* Exercituum, ipse est Dominus omnium, non est qui eus beneplacenti & absolutę voluntati possit resistere; in ejus manibus sunt omnium Regum, & Potentiorum corda, ac omnium jura regnorum; quibus vult, quando vult, & quomodo vult illa tradit: etiam illis qui eum non cognoscunt, nec ejus Sanctum Nomen invocant, ac venerantur. Paucis ab hinc annis, inauditis penè à saeculo praeliis, & triumphis, per ternos Reges Christianos Christi auspiciis, protritos vel subactos cernimus Ecclesiæ Dei vivi saevissimos hostes; gratulamur, & Deo gratias agimus, innumeras Turcarum copias formidabiles, per Se-

renissimum Poloniae Regem, Sigismundum tertium, Jagellonidem: & Sancti Casimiri abnepotem, Moscorum & Tartarorum vindicem tot cladicibus attritas; ut si cæteri Principes ei suppetias tulissent, jam aëtum esset de Ottomanorum Imperio. Porrò excessit ille libens è Patrio & avito Sueciæ Regno, ne fidem, Deumque perderet: sed hanc Dei causa exiguae Ditionis jaeturam, amplis illi, in Moscovia, Polonia, Livonia, Walachia, Russia, Asia, Triomphis, & Imperiis, centu-
plo fœnore compensavit Deus omnipotens; semper magnificus in Sanctitate, faciens mirabilia in electis suis.

Tu es Deus scientiarum, & Dominus omnium cuius sapientiae non est numerus. Te omnes unanimi animorum consensu suppliciter rogamus & obsecramus, ut firmissimo mutuae dilectionis vinculo, compellas & constringas corda Regum, Principum & omnium, quos in potestate super populos tuos constituisti. Simulque omnibus idem studium hæresis seditionæ, & semper rebellis extirpandæ, ac funditus eradicandæ, Benignus aspires, &

sic inspires hanc tuam sapientiam, ut
clarè cognoscant, enerve, imbelle,
divisum in se, & desolatum ac nullum
esse omne regnum, in quo cives inter
se de Religione digladiantur.

Ubi hæretici pro suâ perfidiâ usque
ad mortem dimicant, perfidèque non
tantùm cives, sed & Principes suos
produnt, perduntque. Fidei enim &
Religionis contentiones, necessariò
pariunt Ecclesiæ & Reipublicæ dissidium,
idque internecinum; ut Rex
Orthodoxus, Regni sui Dominus, &
Rex non sit, quamdiu in eo talis
grassatur hæresis. Etenim commune
est hæreticorum seditiones conflare,
Turcæ aditum patefacere, vicinos Prin-
cipes ad bellum sollicitare. Quâ ratione
enim Regi suo fideles sint, qui Deo
sunt injurii, blasphemi, infideles?
Quâ ratione Principi fidem servent,
qui fidem Christo & Ecclesiæ datam
violarunt? & assiduè ac pertinaciter
violent, quique suam perfidiam re-
bellione armant, & propugnant? Non
id ipsorum, non naturæ, non indol-
lis, sed phrenesis: hæresis inquam se-
ditiosæ & infidæ est vitium. Aperuisti

Regum oculos, ô Lux increata, Trinitas Divina : ut id clare cernerent, ideoque singuli in Calvinismum, ut Regni sui pestem insurgerent. Ita dedisti Christianissimo Galliarum Regi Ludovico XIII. Justo, & pio Sancti Ludovici hæredi & æmulo, suprà ætatem, animos, & vires, ut Urbes & Arces plurimas quas Hugonotti invaserant, armatâ manu eis extorqueret, cæteras penè omnes ad dditionem cogeret. Quod nemo Majorum cogitare, nedum aggredi ausus fuerat : ut jam ipse Franciæ totius sit Rex, qui ante triennium dimidiatus & precarius ejus tantum Rex esse videbatur. Ita etiam Ferdinandum Imperatorem invictum, spem & columnen Germaniæ, tot, tantisque victoriis, iisque continuis decorasti, ut te pro eo manifestè pugnare, illud pro-Patrui sui Caroli V. Imperatoris jure dicere potuerit ; *Veni, vidi, vicit Christus* : Et illud Deboraë Judic. 5. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, de cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo adversus sisaram pugnaverunt.* Instar fulminis

minis enim victor ejus exercitūs, Du-
ce Bavarō quasi redivivo Juda Macha-
bæo, pervasit, subegitque, Austriam,
Bohemiam, Moraviam, Silesiam,
Hungariam, Palatinatum utrumque,
ex iisque Hæreticorum Patriarchas
Hussitas, ac rebellionum faces Calvi-
nistas, expulit & profigavit, quā in
re suas quoque egregiè prestitē par-
tes insignes ex Italī Belgisque Duces,
cum validis copiis ab optimo Rege Ca-
tholico opportunè in auxilium sub-
missi, ut jam Germania putidis, & pe-
stiferis membris resectis libera, redin-
tegrari, revalescere, pristinasque vires,
& robur queat colligere: Quibus in
unum collectis roborata non tantū
Turcis resistere, sed & eos bello la-
cessere, & invadere audeat: Hunga-
riamque hæresis dissidio perditam, uni-
tis Germanorum, & vicinorum, armis
repitere, & recuperare valeat. Hæc
eorum æterna erit gloria, hi immor-
tales triumphi, hæc trophæa quæ in
omne ævum promanabunt.

NUMERUS SECUNDUS.

Oportet Principes Christianos unitis
armis præliari cum letitiâ, prælium
Christi contra inimicos Ecclesie,
nec ulli fas est juvare hæreticos re-
belles contra legitimum Principem.

§. I.

A Gite ergo Principes generosi,
pergit magnis animis, opus fe-
licibus adeò auspiciis cœptum
conficite, paribus studiis rebellem Cal-
vini hæresim penè avulsam stirpitus
ubilibet eradicate: quare procul absit à
Christiano fidelium pectore, ut hære-
ticos contra orthodoxum suum Prin-
cipem rebellantes, adjuvare aut fovere
satagat. Qui enim hæreticos juvat, hæ-
resim juvat & propugnat, ipsamque
Christi fidem & Ecclesiam oppugnat.
Qui rebelles juvat, rebellionem juvat
& propugnat: quocirca justo Dei ju-
dicio reddetur ei talio, ut in quo pec-
cavit, in eodem puniatur, & ab hære-
tis bello à subditis rebellione exagi-
tetur. Sapienter Thucidides Lib. I.

Nullus, inquit, à suis subditis justè puniendis arcendus est. & qui id facit parrem in se legem statuit, ne & ipse suos puniat delinquentes. Ita gravem non tantum censuram sed & vindictam Dei subiit Josaphat pius alioqui Rex Iuda, quando oraculo Jehu castigatus audivit: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eò quod abstuleris lucos de terrâ Iuda, & paraveris cor tuum ut requireres Dominum.* 2. Paral. c. 19. Graviorem verò exceptit ab Eliezer Prophetâ in eum detonante, 2. Paral. 20. *Quia habuisti fædus cum Ocoziâ, percussit Dominus operatua, contritæq; sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* Et tamen Josaphat Ocoziam adjuverat non in impietate, sed in re politica dumtaxat, nimirum ad navigandum in Tharsis. Porrò verissimum est istud, licet non nullis paradoxum, quamobrem sapientes Consiliarii hoc suis Principibus instillant principium: *Ut tuum regnum firmes & amplifices, omni studio cole pacem & fædus cum vicinis Christianis*

Principibus, horum enim amicitia tibi erit murus & antimurale. Nam ut ait Rex sapientissimus, Prover. 18. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. Quin & Atticus Orator, Precipuum, ait, boni Principis opus est, amicos parare, nullum enim majus boni imperii instrumentum, quam boni amici.

Audiant Christiani saluberrimum Anchise apud Virgilium, Romanos a civilibus bellis dehortantis consilium: *Ne, quæso, netata animis assuecite bella, Neu patriæ validas in viscera vertite vires.*

Christiani unum Deum Patrem omnium invocant: En unum Christum omnium Salvatorem credunt, uno eodemque Baptismate ad eandem vitam æternam regenerati sunt in visceribus ejusdem Ecclesiæ, quam ut matrem colere & diligere debent, & se mutuò ut fratres: si in illis est vel minima scintilla charitatis, junctis animis & armis communem Christiani nominis hostem oppugnant, haud dubiè debet labunt. Deus exercitum magnificus in sanctitate, Principibus sibi fidelibus facit mirabilia magna solus, cui proinde,

tota Germania, tota Gallia, tota
Polonia, imò totus Orbis Christianus,
ob tantas tamque recentes victorias
cum gratiarum actione Caticum Moy-
sis concinat. Cantemus Domino, glo-
riosè enim magnificatus est, equum &
ascensorem projicit in mare. *Exod. 15.*

§. II.

Eia Sanctissima Trinitas! tribus
virtutis tuæ lanceis, tuâ inquam
potentiâ, sapientiâ, & gratiâ, trium
hostium tuorum, pariter ac Prophetar-
um, & Apostolorum, ac totius Ec-
clesiæ tuæ militantis; videlicet Sar-
acenorum, Hæreticorum, & Schisma-
ticorum mentes, cordaque feri & sau-
cia; ut omnes fese tibi Deo uni trino
subdant, te cognoscant, adorent, cre-
dant, ament & glorificant: psallentes
nobiscum in unum, Gloria Patri &
Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat
in principio & nunc & semper, & in
sæcula sæculorum, Amen. Tunc tuæ
Divinæ Majestati & clementiæ, verè
& exultanter omnium gentium jubilis
illud regii Vatis oraculum jubilabimus.

B 3

Omnis gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terra & Deus, psallite sapienter. Jubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite Nomini ejus. Date gloriam laudi ejus. Afferete Domino patriæ gentium, afferete Domino gloriam & honorem, afferete Domino gloriam Nomini ejus.

Quæ autem est gloria hominis-Dei & Salvatoris omnium IESU-CHRISTI nonne salus populi? hic unus est finis Sacri Belli, hæc suprema lex mundi. Ideò hoc titulo Salvatoris mundi, maximè gloriatur, qui se non solùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis obtulit in sacrificium propitiationis. Propterea dicit Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo au-

tem audient sine Prædicante : quomodo verò prædicabunt nisi mittantur ? Sicut scriptum est, quām speciosi pedes Evangelizantium pacem , Evangelizantium bona. Cūm ergo Deus univerorum , omnes homines ad imaginem suam ex uno & unā formaverit : velitque omnes homines salvos fieri , & Filium suum miserit in mundum , non ut judicet mundum , sed ut salvetur mundus per ipsum : manifestum est , non posse summos Ecclesiæ Principes , magis Dei gloriam promovere , & Christi JESU Nomen exaltare , quām totis viribus concurrendo ad conversionem omnium infidelium , Indorum , Mahometanorum , Saracenorum , Judæorum , Hæreticorum ; & ut uno verbo omnes comprehendam , omnium omnino inimicorum Crucis Christi : Quorum unus est finis interitus , nisi armis infidelium , armis lucis , armatis inquam precibus , fulgore gladii visibilis & luce fidei , illuminentur , & convertantur , postquam fuerint debellati & contriti , magno suo bono , & Ecclesiæ emolumento .

NUMERUS TERTIUS.

Trinitas Increata, & invisibilis, in
Verbo Deo Incarnato, Crucifixo, Glo-
rificato, visibiliter hominibus appa-
rere voluit: ut omnis qui credit in
Christum J E S U M hominem
Deum, omnium hominum, maxime
fidelium Salvatorem, non pereat;
sed habeat vitam Eternam per
ipsum.

§. I.

TU solus Deus Pater, Verbum
& Spiritus Sanctus, Deus
unus, trinus; Rex saeculo-
rum Eternorum immortalis, & invi-
sibilis, lucem inhabitas inaccessibi-
lem; quem nullus hominum morta-
lium vidit, nec ullus videre potest
oculis corporeis in suâ essentiâ divinâ.
Tu tamen ô beata Trinitas! per ad-
mirabilem Verbi Divini Incarnatio-
nem in Utero Virginali, virtute Om-
nipotentiæ tuæ formatam: Te totam
mundo universo pandere, & omni-

bus hominibus, ut in speculo clarissimo sine maculâ, spectabilem exhibere voluisti. Tu ô Trinitas ineffabilis, & incomprehensibilis, per hoc Verbi Increati omnium Creatoris, & Incarnati omnium Reparatoris, Mysterium absconditum à generationibus; per hoc novum opus Brachii tui omnipotentis, cui non est impossibile omne verbum, totum mundum recreasti, & populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, cùm enim profundum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine de cœlis, à Regalibus sedibus venit.

Tunc nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infusit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur, & cum beatis Spiritibus, primis tuis adoratoribus in spiritu, & veritate, corde, & ore sociati; hymnum gloriæ tuæ canamus, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus, unus, trinus: pleni sunt cœli & terra Majestate ejus: Ecce in Christo Iesu

Verbo Deo-homine, concepto de Spiritu Sancto, formato & nato de Maria Virgine, nova facis omnia, ineffabilibus totum mundum renovas Sacramentis, uniens in uno Verbo Incarnato ima summis, infinita finitis, cœlum terræ, Divinitatem humanitati, in unico Christo, nimirum in hoc Verbi Incarnati Mysterio, Deus factus est homo, ut homo fieret Deus, per purissimam cum ipso unionem. Manifestè hoc magnum est infinitæ pietatis, charitatis, sapientiæ, omnipotentiæ & bonitatis Dei, erga totum genus humanum Sacramentum: quod manifestatum est in carne nostrâ mortali, per immortalem; per unigenitum Dei Filium, qui factus est unigenitus Virginis Filius, ut esset primogenitus Prædestinatorum per ipsum, & cum ipso ad vitam æternam, quam datus est omnibus qui credunt in ipsum, fide per charitatem formatâ, usque in finem. Sicut ipse, cùm dilexisset suos prior, in finem dilexit eos.

§. II.

Manifestè igitur hoc magnum est, pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu; apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus: creditum est in mundo; assumptum est in gloriâ, ut quò præcessit gloria capitîs, eò spes elevetur totius corporis ejus mystici; quod est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, sponsa Spiritus Sancti. Per illam ipse revelavit nobis, & docet omnes filios lucis, omnem veritatem, absconditam à Sapientibus & prudentibus mundi: revelatam autem parvulis in Christo Jesus. Ipse Deus majestatis exinanitus est usque ad formam servi, ut esset unus mediator Dei & omnium hominum; Salvator totius mundi, ut nos omnes divinitatis suæ tribueret esse participes. Ideò semetipsum exinanivit unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis, coæternus, & coæqualis in omnibus & per omnia: Ideò Verbum Incarnatum cùm in forma Dei esset, Verbum

Deus, de Deo; ipsum Verbum Caro factum est, formam nostram terrestrem accipiens, & nobis per omnia similis factus absque peccato; ut destrueret omne peccatum, & esset ipsius Caro Virginea, munda, immaculata, mundans & purificans immundam carnem nostram, peccati fordibus coinquinatam; & per gratiam ejus mundati ab omni iniquitate, & justificati, ac sanctificati digni redderemur videre facie ad faciem Deum nostrum, in gloriâ suâ: in quem desiderant purissimi Spiritus prospicere: & cujus æternâ visione beantur omnes Beati, quippe qui sanctissimam Triadem videntes illi similes sunt, quia vident Divinitatem ejus in Sanctissimâ Trinitate residentem, sicuti est in se ipsâ. Sic Trinitas Divina in JESU-CHRISTO omnem Divinitatis suæ maiestatem manifestavit, & in illo Deo homine Verbo Incarnato, & nato de Mariâ semper Immaculatâ, semper Virgine Dei Matre, omnia nobis donavit, omnia renovavit, ut esset nobis omnia, in Christo JESU. Ille enim, Emmanuel nobiscum Deus, se nascens dedit,

socium; convelscens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium æternum: est ergo nobis Deus, unus, trinus, omnia in Christo; & per ipsum dedit nobis omnia, ut sit sola Trinitas Divina omnia in omnibus.

§. III.

Sic tota Trinitas Divina mundum immundum dilexit; ut Filium Dei unigenitum omnibus dederit, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Verbum enim Incarnatum Deus-homo solus Emmanuel nobiscum Deus, nostram carnem de Virginis Immaculatæ utero assumptam, arctissimo vinculo Divinæ suæ Personæ, copulavit in unitatem ejusdem compositi. Non enim, Caro, Anima, & Divinitas, Personâ Verbi unius simul subsistentes, duo sunt composita, aut duo Christi; sed unus est Christus, non conversione humanitatis in Deum, sed assumptione hypostaticâ in Verbum: non confusione substantiarum, quæ semper

manent distinctæ realiter, & differen-
tes substantialiter, sed unitate Perso-
næ Divinæ, Verbi Increati, & In-
carnati, quæ Persona Divina unica est
in Christo. Ideò JESUS-CHRISTUS
nobis consanguineus, & cognatus,
imò frater fieri dignatus est: ille nos
Deo, uni, trino, confociavit, ac
Sanctissimæ Triadis affines facit. Ipse
ergo est primogenitus prædestinato-
rum ad gloriam, ipse est caput vivum,
& vivificans omnis Ecclesiæ Sancto-
rum in cœlo & in terrâ: ipse est Rex
omnipotens, sanctus, sapiens, salvator:
ipse est salus, justitia, sanctificatio, sa-
pientia, virtus, & exultatio nostra. Ip-
se est auctor gratiæ, & consumma-
tor gloriæ nostræ; honor noster, amor,
Christus spei nostræ, deliciæ cor-
dium, gaudium & omne jubilum no-
strum. Thesaurus omnium bonorum
desiderabilium est JESUS, in quo
omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ
Dei, & omnis plenitudo divinitatis in-
habitat corporaliter ut loquitur Apo-
stolus, id est, residet substantialiter,
ut de plenitudine ejus nos omnes acci-
piamus, gratiam pro gratiâ, inquit,

dilectus Discipulus. Nimirum Incarna-
ti Verbi Mysterium est perfectissimum
divinæ Triadis compendium, & sum-
ma communicatio divinitatis ad extra
in actu primo, ut loquitur Theolo-
gia Catholica; ita est omnino, San-
ctissima Trinitas unus Deus, in
Christo Iesu Deo-Homine, perfe-
ctissimo modo in Æternum residet, &
per ipsum, hominibus præsertim renatis
in Christo, multifariam multisque
modis se totam communicat.

NUMERUS QUARTUS.

*Scripturarum, Prophetarum, Apo-
stolorum, Angelorum, Sancto-
rum Patrum Testimonia de Chri-
sto, immò ipsiusmet Verbi Incar-
nati, se Deum revelantis, atque
totius Trinitatis Divinitatem Chri-
sti manifestantis.*

§. I.

VT magnum hoc mysterium abs-
conditum, sapientibus hujus
mundi, fidelibus Christi, clarus
illustretur, scrutemur & Scripturas,

& Sanctorum Patrum effata, qui studia sua totamque vitam divinæ illi contemplationi consecraverunt; ut quantum potest humana mens, fidei luce roborata, ingrediatur in potentias mysterii absconditi ab origine mundi. Primus omnium Apostolorum Petrus primâ de Christo suæ fidei professione, ejus divinitatem confitetur, istis verbis, à Matthæo c. 16. relatis. Tu
 „ es Christus Filius Dei vivi. Respon-
 „ dens autem J E S U S , dixit: Beatus es
 „ Simon Barjona quia caro & sanguis
 „ non revelavit tibi, sed Pater meus qui
 „ in Cœlis est; & ego dico tibi quia tu es
 „ Petrus & super hanc petram ædifica-
 „ bo Ecclesiam meam, & portæ inferi
 „ non prævalebunt adversus eam: & ti-
 „ bi dabo claves regni Cœlorum, &
 „ quodcumque ligaveris super terram,
 „ erit ligatum & in Cœlis, & quod-
 „ cumque solveris super terram, erit
 „ solutum & in Cœlis.

Tres sunt, inquit, Discipulus quem diligebat J E S U S , qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt: & tres sunt, qui testimonium dant

dant in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis, & hi tres unum sunt: id est tres Divinæ Personæ, quæ unus Deus sunt, testimonium dant de Verbo Incarnato, quod sit verè Deus noster: Ideò dicebat Christus Philippo Apostolo, petenti ostendi illis Parentes: tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me? Philippe qui videt me, videt & Patrem; non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est; verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor; Pater autem in me manens, ipse facit opera: non credis quia ego in Patre, & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite. Et iterum cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Tres etiam sunt testes humanitatis veræ, qua Verbum Incarnatum Divinitatis suæ radios, & infinitam Majestatem, velut pallio teatam, nobis exhibuit, in substantia nostræ mortalitatis contemplandam: videlicet Spi-

C

titus, Aqua, & Sanguis; & hi tres
unum sunt, unitate ejusdem testimo-
nii. Unum inquam per relationem ad
eandem humanitatem, ab eodem Ver-
bo assumptam; Quam veram, non
apparentem & fictam, fuisse testantur
uno & infallibili testimonio, Spiritus
quem in cruce voce magnâ exclamans
tradidit in manus Patris: Item Aqua
& Sanguis, quæ simul ex ejus latere
post mortem aperto exierunt, ad
emundationem omnium delictorum
mundi: undè ipsi infideles à quibus
crucifixus est, talibus signis visis in
morte ejus, dixerunt verè Filius Dei
erat iste: & revertebantur percutien-
tes pectora sua ex contritione cordis.
Sic enim traditus est propter peccata
nostra omnium Salvator, per Sanguinem
suum, mundi totius pretium, &
vivificator per mortem suam, per quam
omnibus vitam æternam promeruit.

§. II.

Sed & multis ante Incarnationem,
sæculis, omnes Prophetæ Christo
Iesu ut Verbo Dei incarnando, te-

stimonium reddiderunt. In primis Propheta regius eum alloquens, ut Dominum suum *Psal* 109. ait: *Dixit Dominus Dominu meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Unde arguit Christus Pharisæorum ignorantiam & malitiam, qui licet opera ejus probarent, eum verè Filium Dei esse, & Messiam à Deo promissum, nolebant credere in illum. Si ergo David, vocat eum Dominum, quomodo Christus Filius ejus est: *Ad tam evidens testimonium, nemo poterat respondere ei verbum.* Isaías vero testimonium Divinitati & Humanitati Christi reddens, vaticinatur, c 7. *Audite domus David, dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet & pariet vobis filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et iterum, c. 8. *ô Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* Capite vero 9. *Nomina alia ejus recensens, ait: Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus ejus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, For-*

C 2

tis, Pater futuri sæculi ; Princeps pacis. Rursus regius Vates unigenitum Dei Filium contemplans in carne nostra, ad illum verba Patris dirigit. *Psal. 44.* Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ Participibus tuis. Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt tu autem permanebis. Mutabis eos & mutantur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Psal. 2.* Cui autem Angelorum dixit : Filius meus es tu, ego hodie genui te ? Ad quem Angelorum dixit : Sede a dextris meis ? *Heb. 1.* Intonuit de Christo Micheas, c. 5. Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in milibus Juda ; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus Æternitatis.

Insonat Aggæus c. 2. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo

Cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis Gentibus. Consonat Malachias c. 2. Statim veniet ad Templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum. Succinit Zacharias c. 3. Adducam servum meum orientem. Et c. 9. Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinculos tuos de lacu. Rursum Jeremias clamat c. 31. Creavit Dominus novum super terram, Fœmina circumdabit virum. At ubi venit plenitudo temporis, inquit, Apostolus Gal. 4. Misit Deus Filium suum, factum ex muliere; factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret: ut adoptionem Filiorum recipieremus. Quoniam autem estis Filii; misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.

Evangelista Lucas initio Incarnationem ejus his verbis exprimit. In
„mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad
„Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David,
„& nomen Virginis Maria, & ingressus ad eam dixit: Ave gratia plena,
„Dominus tecum; benedicta tu in
„mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitavit, qualis esset ista Salutatio: Et
„ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.
„Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui, &
„regnabit in domo Jacob in æternum;
„& regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fieri istud, quoniam virum non
„cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obum-

„brabit tibi: Ideoque & quod nasce-
„tur ex te, Sanctum, vocabitur Fi-
„lius Dei. Et ecce Elizabeth cognata
„tua & ipsa concepit Filium in sene-
„tute sua, & hic mensis sextus est
„illi, quæ vocatur sterilis; quia non
„erit impossibile apud Deum omne
„Verbum. Dixit autem Maria: Ecce
„Ancilla Domini; fiat mihi secundum
„verbum tuum.

Post pronuntiatum illud verbum, quo Sancta Virgo Maria credens An-
gelo Gabriel, præbuit consensum
suum ad Incarnationem Verbi Dei, illicò per Dei virtutem, apud quem
non est impossibile omne Verbum, ipsum Verbum quod erat in principio
ab Æterno illud Verbum, quod erat
apud Deum in sinu Patris, Verbum
quod erat Deus; ipsum Verbum per
quod facta sunt omnia, quæ facta sunt:
Illud unicum Patris Dei Verbum,
Caro factum est in utero Virginis, ex
sola ipsius substantia, Dei Spiritu gravi-
data, & sic Virgo in Æternum per-
manens, Verbum Dei unigenitum Pa-
tris Filium, consubstantiale Patri,
concepit in utero, & facta est Mater

C 4

Dei, Mater admirabilis, Virgo Ma-
ter, gaudia Matris habens cum Virgi-
nitatis honore; in quo nec primam si-
milem habuit, nec est habitura se-
quentem: ut sicuti est unus solus Deus
trinus; unus solus Christus J E S U S
Deus-Homo; sic una sola Virgo Ma-
ter Dei, super omnes Matres Benedi-
cta, super omnes Virgines sapiens, su-
per omnes omnino puras Creaturas
Sancta & Gloriosa, solo Deo infe-
rior. O verè Beatam Virginem Ma-
trem, quæ Angelo Dei credidisti, &
uni Deo Virginitatem prima vovisti!
Tu totum corpus tuum Sacro-Sanctum
& semper Immaculatam animam ab
initio viarum tuarum in ipso principio
creationis suæ sanctæ, ab omni origi-
nali labe præservatam, Deo, uni, tri-
no, consecrasti in Æternum. Ideò
omnes tui adoratores in spiritu & veri-
tate, ô Divina Trinitas, infinitas ti-
bi gratias agunt mecum; quia hanc
semper Immaculatam Virginem Ma-
riam, in Dei Matrem elegisti; & om-
nibus prætulisti, ac super omne quod
Deus non est exaltasti. Ipsa est primo-
genita Patris Æterni in ordine gratiæ

& gloriæ ; ipsa est vera Mater Filii
 Dei unigeniti sinus sui & uteri virgi-
 nalis ; ipsa est Sponsa semper Immacu-
 lata Spiritus Sancti : ipsa est Sanctua-
 rium animatum semper mundum San-
 ctissimæ Triadis : ipsa est Regina Cœ-
 li & terræ , Regina Angelorum , Pa-
 triarcharum , Prophetarum , Aposto-
 lorum , Martyrum , Virginum , Con-
 fessorum , Regina Sanctorum om-
 nium : Regina Mater Regis Regum ,
 Regis gloriæ , Regis Dei , Salvatoris no-
 stri Dei Hominis IESU - C H R I S T I ;
 unigeniti Filii ventris ejus Sacro-San-
 cti . Surrexerunt Filii tui ô Mater cun-
 ñorum viventium , Mater Divinæ
 gratiæ , & Beatissimam te prædicave-
 runt . Quisquis ergo te ô semper Im-
 maculata , semper Virgo , semper San-
 cta , ac Benedicta Maria , verè Dei
 param , veram Dei Genitricem , non
 confitetur à divinitate excidit : Sancta
 Maria Virgo Dei genitrix , verè Ma-
 ter Dei , monstra te esse Matrem om-
 nium qui invocant nomen tuum in
 Spiritu & veritate . Gaudé Maria Vir-
 go quæ cunætas hæreses sola interemi-
 sti in universo mundo ; succurre om-

nibus fidelibus tuis , contere omnes
inimicos Nominis Christiani: quæ in
Conceptione tota Immaculata , tota
charitate ignita, Draconis caput con-
trivisti ; & quæ Deum - Hominem
concepisti , peperisti , virgineo tuo la-
ete aluisti , & prototius mundi salute,
eundem , Deo uni , trino , in Circum-
cisione imponendo illi nomen J E S U ,
in Templo , & in Calvario , obtulisti
in holocaustum , ut per virtutem Filii
tui primogeniti esses Mater cuncto-
rum viventium ; & sicut per unam
mulierem , & per unum virum , Ada-
mum & Evam totum genus huma-
num corruptum fuerat: sic per JESUM
& MARIAM omnia restaurentur cum
magno fœnore gratiarum, Deo uni ,
trino , gratias , honor , Benedictio &
gloria ab omni creatura. Amen.



NUMERUS QUINTUS.

*Incarnatio Verbi est novum Trinitatis
Opus, per quod facta sunt
omnia nova.*

§. I.

Hoc est Mysterium Verbi In-
creati & Incarnati, hoc est no-
vum admirabile opus excelsi,
quod omnia in se includit. Divinitatem
& Humanitatem in Persona Verbi
uniens, inseparabili vinculo unionis
hypostaticæ; hoc in Mysterio Verbi
Incarnati, continentur omnia mirabi-
lia Dei, omnipotentiæ, sapientiæ &
bonitatis; imò tota Trinitas Increa-
ta, secundùm plenitudinem Divinita-
tis suæ inhabitat substantialiter in
Christo JESU. Hoc enim in Mysterio
Incarnati Verbi r̄fulget Majestas Di-
vinitatis unius in triplici divina hypo-
stazi residentis. Audiatur Bernardus
Sermone tertio, in vigilia Nativitatis
JESU-CHRISTI: Quem Virgo Dei
Genitrix peperit & reclinavit in præ-

sepio, quia non erat ei locus in diversorio. Verba Sancti Doctoris hæc sunt: Sicut in illa singulari Divinitate Trinitas est in Personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commixtione in Christo Trinitas est in substantiis, unitas in Persona. Et sicut ibi Personæ non scindunt unitatem, & unitas non minuit Trinitatem; ita hæc Persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ Personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem: opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim, anima & caro, in unam convenere personam, & hæc tria unum sunt, & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed unitate Personæ. Benedicta sit ergo Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam: Deus unus & trinus, Trinitas Divina, magnam misericordiam fecit à principio extrahendo hominem de nihilo per creationem, majorem fecit misericordiam homini post prævaricationem, non illum damnando cum Angelis æ

postatis, sed promittendo ei mediato-
rem, reparatorem omnium malorum
peccati, & auctorem omnium bono-
rum: maximam verò summam & in-
finitam misericordiam suam exaltavit
Trinitas Divina in Mysterio Incarna-
tionis Verbi, quod est maxima sum-
ma & perfectissima communicatio Di-
vinitatis ad extra, & in quo sunt om-
nia summa tripliciter, videlicet summa
exinanitio Divinitatis, cum summa
exaltatione Humanitatis: summa pu-
ritas Virginitatis, cum summa fœ-
cunditate Maternitatis: & summa pu-
nitio iniquitatis, cum summa demon-
stratione infinitæ dilectionis Sanctissi-
mæ Trinitatis. Sic Deus unus trinus,
Deus charitas, dilexit mundum ut in
Christo J E S U Deo-Homine exina-
nito, Crucifixo, Glorificato, omnia
omnino in illo nobis donaverit. Per
illum, inquit, Princeps Apostolorum
maxima & pretiosa promissa nobis do-
navit, ut efficiamur consortes Divinæ
naturæ: Deus enim, inquit Augusti-
nus, factus est homo, ut homo fieret
Deus.

In Trinitate Increata tria sunt sum-

ma. Unitas essentiæ, Trinitas Personarum; æqualitas in omnibus & per omnia o infinita Unitas! infinita Trinitas! infinita æqualitas! Hoc in mysterio, omnia sunt infinitè summa, nimirum summu numerus, summum pondus, & summa mensura. In hac Trinitate Increata omnium creatrice, est summus numerus seu infinitè perfecta distinctio trium Personarum: Patris cuius notio est producere sibi similem; Filii cuius notio, est generari; Spiritus Sancti cuius notio, est unire. In illa Trinitate est summum pondus quo tres illæ Personæ infinitè uniuntur per amicitiæ æternæ vinculum. In illa Trinitate est summa mensura infinitæ æqualitatis inter illas tres Personas Divinas, quæ indivisibiliter eandem habent substantiam Divinitatis unicæ, quæ eadem omnino est in tribus illis Personis Divinis, consubstantialibus, coæternis, & coæqualibus per omnia, & in omnibus iisdem perfectionibus simpliciter simplicibus, sine ulla differentia discretionis, aut minoritatis inter illas tres Personas quæ perfectissimè unum sunt. Porro Deus,

unus, trinus, in omnibus creaturis suis, hanc impressit Trinitatis suæ effigiem: sic ut quæ sunt magis perfectæ, illam perfectius repræsentent. Quid enim est hæc Universitas totius mundi, nisi admirabile opus Excelsi, revelatio Altissimi omnipotentis Dei unius & trini: opus compositum ex innumeris rebus distinctis ab invicem, per numerum determinatum à tribus Personis Divinis, ordinatarum per pondus singularum, & conservatarum in suo ordine, per mensuram sympatheticam, qua invicem tam aptè, tam fortiter suaviterque constringuntur, ut unum facere videantur, manentes singulæ distinctæ in suo ordine pacifico. Dei ergo perfecta sunt omnia opera, qui in numero, pondere, & mensura omnia fecit in mundo universo, in quo nullibi sunt plura ut plura, confusa sine ordine; sed perfectè ordinata ad unum, ut invisibilia Trinitatis Divinæ, per ea quæ facta sunt visibilia conspicantur, & à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter possit Creator omnium inveniri: cuius gloriam Cœli & stellæ

stantes in ordine suo enarrant; cuius nomen tam admirabile est in universa terra, ut solus stultus non cognoscat Creatorem suum, & solus insipiens non intelligat: similis jumentis insipientibus, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. In pulchritudine igitur, in numero, pondere & mensura rerum creatarum, pulchritudo quædam admiranda Divinæ naturæ conspicitur. Omnis natura exclamat ostenditque Creatorem suum: quot entia tot ora quæ prædicatione perpetuâ sui majestatem loquuntur auctoris: in paginis elementorum, & voluminibus temporum communis & publica Divinæ institutionis doctrina legitur: utque omnia Sapientum hac super re effata in unum colligam, verbis utar Eminentissimi cujusdam Ecclesiæ Principis, qui ingenio, sapientiâ, & eloquentiâ, eximiisque virtutibus, clarior est quam purpurâ. Hic in suis Thesibus pag. 2. totum quod illi pluribus dixerunt uno verbo exprimit: *Divinæ existentiæ, innata rerum creatarum eloquentia, efficax est demonstratio.*

§. II.

§. II.

Quæ omnia licet verissima sint,
 nihil tamen in toto mundo visibili
 & invisibili, nihil in terra, in Cœ-
 lo, in hominibus, in Angelis, inve-
 nitur, quod Divinam Essentiam, &
 Existentiam, ac Majestatem Divinita-
 tis unius, in triplici Divinarum Per-
 sonarum hypostasi residentem, au-
 gustius, & perfectius nobis repræsen-
 tat, quam Verbi Incarnati Myste-
 rium, quod solum omnia in se uno,
 perfectissimè continet: in hac Trini-
 tate communicata per Verbum Incar-
 natum in Utero Virgineo, solius Al-
 tissimi omnipotenti virtute consum-
 mata: Tria sunt summa & summè uni-
 ta, atque unicum Christum, Deum-
 Hominem constituentia. Unitas Per-
 sonæ Divinæ Increatæ Verbi Dei,
 consubstantialis, coæterni, & coæ-
 qualis Patri secundum Divinitatem, &
 Trinitas diversarum substancialium,
 scilicet Divinitatis, Animæ, & Car-
 nis Christi, & unio perfecta substancialis & hypostatica trium illarum sub-

D

stantiarum, indissolubili, ineffabili, incomprehensibili illo vinculo, in eodem toto composito, in uno Christo subsistentium, per unicam Divinam Personam, Verbi Incarnati, Unigeniti Filii Dei, qui quod semel assumpsit hypostaticè sibi unitum, nunquam dimisit. O Mysteria Adoranda! ô abissus Triadis Increatae, & creatae in Christo JESU! ô profunditas profundatum! ô incomprehensibilitas Majestatis ejusdem Divinitatis in Trinitate increata, & infinitae Majestatis, Potentiae, Sapientiae ac Pietatis, Dei vivi, in Mysterio Incarnationis; sed quod nullus intellectus creatus potest comprehendere, omnes Angeli, & rationis capaces creaturæ debent humiliter adorare, in spiritu & veritate: ut sint fideles. Infinitas igitur, tibi Deo uni, trino, gratiarum actiones offero hodie, per ora Sacro-Sancta Verbi Incarnati Dei-Hominis, & semper Virginis Matris admirabilis, Deiparæ, atque per ora omnium qui Nomen tuum mecum invocant. O Beata Trinitas unus Deus! gratias agimus infinitae Bonitati tuæ, quia abscondi-

sti hæc maxima fidei Mysteria Sa-
pientibus & Prudentibus hujus mun-
di, & revelasti ea parvulis in Christo
J E S U Deo-Homine ; qui cum in
forma Dei esset exinanivit semetipsum,
formam servi accipiens, & humiliavit
semetipsum factus obediens usque ad
mortem, mortem autem Crucis. Pro-
pter quod & Deus exaltavit illum &
donavit illi nomen, quod est super om-
ne nomen; ut in Nomine J E S U om-
ne genu flectatur, Cœlestium, Terre-
strium, & omnis lingua confiteatur,
quia Dominus J E S U S - C H R I S T U S
in gloria est Dei Patris.



NUMERUS SEXTUS.

Eucharistica Institutio, est Incarnationis extensio; & Cardinalia Fidei Mysteria per Eucharistiam exhibentur, recoluntur, & quodammodo dilatantur, ad consummationem majoris gloriae Sanctissimæ Trinitatis, per Christum in Eucharistia residentem, usque ad finem mundi.

§. I.

DE cætero sicut Verbi Incarnationis Mysterium, Deus Homo in se omnia continens tanquam perfectissima & summa ac infinita in actu primo Divinitatis communicatio ad extra: est absolutissima imago Sanctissimæ Triadis, ut demonstratum est sufficenter. Sic præclarissima ejusdem Trinitatis expressio, manifestatur fidelibus in admirabili Eucharistiâ; omnium mirabilium Trinitatis Divinæ maximo compendio, quod est extensio Incarnationis, ut loquun-

tur, Patres & Doctores Ecclesiæ. Sicut enim idem numero Christus existit totus substantialiter in tribus Hostiis consecratis, & tres illæ Hostiæ consecratæ realiter à se invicem distinguuntur, cum tamen essentiam habent planè eandem, nimis eundem omnino Christum, idem compositum ex Persona Verbi, Divinitate, Anima, & Carne Christi, cum omnibus quæ tres illæ substancialiter concitantur. Ita eadem essentia Divina, existit in tribus Personis, realiter distinctis, licet eandem omnino habeant substancialiter indistinctam, individuam, ac indivisibilem. Sicut ergo tres sunt Personæ in Unitate Divinæ substancialiæ, ita in Eucharistiâ in quâ totus Christus substantialiter, continetur, tres sunt substancialiæ in Unitate Personæ Divinæ: & sicut Trinitas Divina tribus modis existit in omnibus, per essentiam, per potentiam, per præsentiam; sic idem Christus perfectissimum Trinitatis Symbolum secundum naturam humanam Verbo hypostaticè unitam, tribus modis in rebus existit, scilicet localiter in Cœlo, perso-

naliter in Verbo , Sacramentaliter in Eucharistiâ. Sicut enim secundum Divinitatem totus essentialiter est in omnibus , ita secundum humanitatem totus Sacramentaliter & substantialiter est in omnibus locis in quibus Eucharistia , sub speciebus panis & vini realiter existit. Sive in manibus Sacerdotis, statim peractâ consecratione, sive in Altari permanens, post Sacrificium in tabernaculis , sive ubicumque, etiam in luto Eucharistia reperiatur.

§. II.

Similiter ex immeatione , circuminceSSIONe , & inseparabili inexistentiâ trium Personarum Divinarum, quæ per concomitantiam existunt in Eucharistiâ: datur nobis cognitio , & renovatur memoria Divinæ Trinitatis , in qua Pater , Filius , & Spiritus Sanctus inseparabiliter in seipfis mutuò existentes, sunt in una eadem substantia Divinitatis indivisæ. Pater in Filio , Filius in Patre , uterque in Spiritu Sancto ; & Spiritus Sanctus in utroque , ut ab utroque , sicut ab uno

principio necessario procedens, & in utroque ab Æterno existens, ut utriusque amor personalis, quies, jubilum, vinculum indissolubile, centrum Divinarum Processionum immanentium: in se uno omnia uniens. Sic hi tres, Pater, Verbum, Spiritus Sanctus, unum sunt, Unitate Divinitatis: Qui tres sunt distinctione Personarum Divinarum, consubstantial, coæternarum, coæqualium in omnibus. Hæc est Majestas Divinitatis, unius trinæ, cuius admirabilis Eucharistia, Incarnationis extensio, est perfecta representatio, expressio, manifestatio. Sicut ergo felicitas Beatorum in Cœlo, est Divinæ Trinitatis visio, dilectio, & fruitio Æterna: sic Christianorum Spiritualium in hoc animarum sanctarum à Deo suo, uno, trino, peregrinantium exilio, vera & unica beatitudo est jugis, Spiritualis, Sacramentalis, & Eucharistica Communio; delicias præbens Regibus, qui supra omnia mortalia eræti, uni Deo Homini adhærentes, hauriunt aquas salientes in vitam æternam, de fonte hoc perenni Salvatoris: omnis cœle-

56.

stis dulcedinis & gaudii, origine & prin-
cipio, quod nunquam poterit exauriri.

§. III.

OMnia omnino Christi Dei-Ho-
minis Mysteria, id est totam œco-
nomiam Incarnationis Passionis, ac Re-
surrectionis Verbi Dei nati de Virgine,
nec non communicationis Spiritus
Sancti, omnium donorum, ac gratia-
rum, ipsiusque glorificationis electo-
rum in sinu Divinæ Triadis, repræsen-
tari, commemorari, extendi, & con-
summari per Eucharisticam liturgiam:
docent unanimiter Sancti Patres, &
intelligunt sapienter Spirituales, qui
in schola Christi, in Ecclesiâ Dei vi-
vi, per Spiritum Sanctum, revelan-
tem humilibus corde omnem verita-
tem, perpetuò erudiuntur. Est ergo
Eucharistia, sive ut maximum Sacri-
ficium Sacerdotii Æterni J e s u-
C H R I S T I, sive ut Sacramentum
infiniti amoris, quo cùm dilexisset
suos à principio in finem dilexit eos;
summum mysterium, fidei orthodo-
xæ; spei cœlestis, charitatis infinitæ;

& omnium mirabilium Dei omnipo-
tentis, maximi, optimi & Dei-Ho-
minis, sub speciebus visibilibus abscon-
diti & exinaniti, sicut maximus in
minimo: ad majorem gloriam San-
ctissimæ Triadis, ad exultationem
Ecclesiæ triumphantis, ad sanctifica-
tionem Ecclesiæ militantis, ad libera-
tionem Ecclesiæ patientis in ignibus
expiatoriis: ad terrorem principis te-
nebrarum, & ad eversionem omnium
inimicorum Christiani Nominis: cùm
sit Eucharistia mundi, carnis, Inferni
& mortis victoria. Denique ad per-
fectam Deificationem electorum in
Christo J E S U ; in quem transfor-
mantur de die in diem per Eucharisti-
cam, Sanctam, & quotidianam Com-
munionem. Per hanc enim Deus-Ho-
mo, qui in se omnia continet, se to-
tum ex toto, & in seipso omnia om-
nibus suis perfectissimo modo dona-
vit: ut esset omnia in omnibus suis
dilectis, per hanc admirabilem & ve-
ram suæ Divinæ Incarnationis exten-
sionem ac communicationem.

Porrò notandum hic specialiter quod Christus donando seipsum suis in Cœnâ Eucharisticâ, addiderit præceptum suæ memorationis, oblationis, ac Communionis dicens: Accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum, quod vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Tria sunt quæ Christiani omnes conservare perpetuò in suâ memoriâ debent, de Deo J E s u suo, qui est Salvator omnium, maximè fideliū, & qui in seipso omnia nobis donavit. Primum est recordari semper præteritæ charitatis, quâ nos omnes redemit, per Passionem suam, factus obediens usque ad mortem Crucis. Secundum præsentis inspectionis, quâ nunc quoque perpetuò suos prospicit & contemplatur per cancellos specierum Sacramentalium & omnium gratiarum suarum fontem abundantissimè nobis per Eucharisticam oblationem, & Communionem communicat. Tertium, quod omnes Christiani

perpetuò in mente volvere debent, est bonorum & malorum discretio iustissimi, omnium Judicis Christi, qui venturus est cum potestate magna & majestate, & reddet unicuique sine acceptione Personarum, secundum opera ejus, bona æterna bonis, mala æterna malis. Hæc tria maximi momenti ad stabiliendam cum Dei gratiâ salutem nostram, ab ipso Christo dum in terrâ viveret tradita, revocantur quotidie nobis in memoriam, per sacrificium quotidianum Sanctæ Missæ, idest oblationis incruentæ Agni Dei-Hominis Dei JESU-CHRISTI, & per Eucharisticam Communionem fidelium. Quicumque ergo majori cum fide, contritione, & dilectione quotidie magnum illud Sacrificium Corporis, & Sanguinis JESU-CHRISTI, in Altari, Deo, uni, trino, offerunt: aut si Sacerdotes non sint, frequenter sic communicant, Eucharistiæ Christi, per Spiritualem, & Sacramentalem Communionem, illi haud dubiè, magis imprimunt in animabus, & in cordibus, ac mentibus suis, perpetuam Christi JESU memoriam.

majoribus ejus donis cumulantur; & pleniorē fructū Incarnationis Verbi, Passionis & Resurrectionis ejus, ac Spiritus Sancti, & omnium donorum ejusdem communicationis, copiosius à totā Divinā Trinitate, per Deificam illam Oblationem ac Communionem percipiunt; & excellentius ac perfectius, Divinitate trium Personarum Divinarum saginantur, atque beatiori, & gloriosiori illarum internā conversatione fruuntur; quantum fas est Sanctis in hac vitā, mortalis peregrinationis nostræ, ad beatam Aeternitatem; cuius Eucharistia pignus est; & Divinissimum viaticum in Domino morientium; sicut est cibus & potus supersubstantialis grandium, & magnarum mentium.

Sic sapientissima, Sanctissima, & Beatissima Virgo Deipara, per quotidiam communionem, post Ascensionem Filii sui, omnium gratiarum, quæ Dei Matrem, & Regis Gloriam Genitricem, ac Cœli Sanctorumque omnium Reginam decebat plenitude cumulata, omnium omnino Sanctorum, Angelorum, ac Beatorum

universas divinitas, est supergressa; adeoque plus est in illâ unâ Dei-Matre, sicut Dignitatis sic & Sanctitatis, gratiæ & gloriæ, quâm in omnibus aliis Sanctis simul in unum, collectis, & conjunctis. Sancta Dei Genitrix hoc igne Eucharistico sicut fornax charitatis tota inflammata, semper aspiciebat in faciem JESU-CHRISTI, unigeniti sui exinaniti in Eucharistiâ, crucifixi in Calvario, & glorificati ad dexteram Patris, atque in ejusdem memoriam, nunquam interruptam, omnia Spiritus Sancti impulsu sic operabatur, ut solus Deus unus, trinus, & JESUS, ejus Filius, viveret, ageret, & omnia in illâ & cum illâ consummaret, ad majorem gloriam Divinæ Triadis, ad perfectissimam imitationem Filii sui JESU-CHRISTI, & ad totius mundi salutem, cum Deo JESU suo perficiendam; præsertim verò ad sanctificationem electorum in Dilecto, Dilecto cordis sui JESU, primogenitio prædestinatorum, & omnium Filiorum Dei, ac cohæredum ejus in gloria Patris.

AB Eucharistia manavit in Ecclesiam primitivam, visibilis Spiritus Sancti communicatio; qui die Pentecostes post peractum à Principe Apostolorum, aliis cooperantibus in cruentum novæ legis Sacrificium, descendit in omnes præsentes, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui magnalia Dei; prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. De primâ Missâ à puro homine celebratâ, post Christi Ascensionem, quam immediate subsecuta est Spiritus Sancti communicatio; & de aliis prærogatiis Christianæ Pentecostes egregium tractatum scripsit Theophilus Raynaudus inter Theologos nostri sæculi Doctissimus, legatur *Tom. 6. de Eucharistiâ circa finem operis.* Verum quidquid sit de primâ illâ celebratione primæ Missæ, post Cœnam Eucharisticam à Christo institutam, quæ Cœna, haud dubiè fuit absolute prima Missa, sive primum Sacrificium in cruentum novæ legis: nulli dubium esse potest

ab Eucharistiâ , & per Eucharistiam ,
in quâ totus Christus auctor & con-
summator fidei , gratiæ , & gloriæ
substantialiter continetur , perpetuò
emanare in omnia Christi membra ,
omnes donorum celestium rivos , qui-
bus totius Ecclesiæ militantis ager ir-
rigatur , & omnes ejus plantæ fœcun-
dantur. Ac succum vitalem recipiunt ,
in perpetuas Aeternitates permanen-
tum.

Liceat hic mihi cum Divo Thomâ
Aquinate , inter sapientissimos San-
ctissimo Doctore Ecclesiæ , exclama-
re! Immensa Divinæ largitatis benefi-
cia exhibita populo Christiano inæsti-
mabilem ei conferunt dignitatem : ne-
que enim est , aut fuit aliquando tam
grandis natio , quæ habuerit Deos
suos appropinquantes sibi , sicut adest
nobis Deus noster : unigenitus siqui-
dem Dei Filius , volens nos suæ Di-
vinitatis esse participes , nostram na-
turam assumpsit , ut homines Deos
faceret factus homo : & hoc insuper
quod de nostro assumpsit totum no-
bis contulit ad salutem , Corpus nam-
que suum pro nostrâ reconciliatione

in ara crucis obtulit Deo Patri , San-
guinem suum fudit in pretium simul
& lavacrum , & ut tanti beneficij ju-
gis in nobis maneret memoria , Cor-
pus suum in cibum , & Sanguinem
in potum , sub specie panis & vini su-
mendum fidelibus dereliquit . Nul-
lum ergo Sacrificium , nullum Sacra-
mentum est illo salubrius , quo pur-
gantur peccata , virtutes augentur &
mens omnium spiritualium carisma-
tum abundantiam impinguatur , offer-
tur in Ecclesiâ pro vivis & mortuis , ut
omnibus prospicit , quod est pro om-
nium salute institutum , suavitatem de-
nique hujus Sacramenti , nullus dignè
exprimere sufficit : per quod spiritua-
lis dulcedo in suo fonte gustatur : &
recolitur memoria illius , quam in suâ
Passione Christus monstravit excel-
lentissimæ charitatis .

§. VI.

QUæcum ita sint , certissimum est
quod sicut divinorum divinissi-
mum opus Sacerdotum Christi J E S U
est quotidie in virtute Spiritus Sancti
Imma-

Immaculatam hanc Agni Dei Hostiam
 Divinæ Triadi, ut Apostoli fecerunt,
 Deo, uni, trino, sacrificare: sic qui-
 libet Christianus, hujus Divinæ par-
 ticipationis capax, nihil potest, San-
 ctissimæ Trinitati & JESU-CHRISTO
 gloriosius, ac sibi ipsi salubrius facere,
 quām quotidie magno huic Sacrificio
 novæ legis, eā quā parest fide, reve-
 rentiâ, & pietate assistere, ac spiri-
 tualiter simul & Sacramentaliter, ut
 solebant primi illi Discipuli Christi,
 communicare. Erant omnes, inquit,
 Lucas Evangelista, perseverantes cum
 M A R I A Matre J E S U , in oratione
 Dei, in Doctrinâ Apostolorum, &
 in fractione Panis: utique Panis illius
 Eucharistici, Panis supersubstantialis,
 qui dat vitam mundo, qui est ipsa
 Christi Caro, ipsem et totus Christus
 qui dedit semetipsum Discipulis suis in
 Cœnâ Eucharistica, dicens: Accipite &
 manducate, hoc est Corpus meum, hoc
 facite in meam commemorationem.
 Verè immensa Dei beneficia exhibita
 populo Christiano inæstimabilem ei
 conferunt dignitatem. Habemus Alt-
 are Divinum, Altare Eucharisticum,

E

in quo Corpus, & Sanguis Christi, totus Christus offertur, immolatur, & manducatur à fidelibus; de quo edere non valent, qui in Christo J E S U non sunt renati per lavacrum regenerationis, & illuminationis. Infideles omnes arcendi sunt ab hoc Altari J E S U - C H R I S T I. & omnes qui licet confiteantur Christum, ore, factis inquis, & criminibus ac impudicitiis suis illum negantes, infidelibus ipsis deterioriores sunt. Infelices omnino Paganī, Saraceni, Mahometani, Judæi increduli, & pertinaces Hæretici, ac Capharnaïtæ omnes, qui in Christum non credunt, qui ab ipsâ sapientiâ Dei vivi, ab ipsâ Veritate increatâ & incarnatâ auditum avertentes, auctori & consummatori fidei non credunt; in quem omnis qui credit, sicut oportet, habet vitam æternam; & sine cuius fide impossibile est Deo placere, & æternam salutem consequi; cùm non sit in alio aliquo salus. Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Infelices etiam omnes illi Christiani, qui ab illo Altari Eucharistico, seipsoſ ſe-

parant, vel per effrenatam vivendi libidinem, vel per fluxam, & mollem animi in sola sensibilia proni, remissionem; vel per inanem mundi timorem; vel per inquietam & inexplebilem, auri, argenti & temporalium bonorum cupiditatem, radicem omnium malorum; vel per conscientiam anxiam & erroneam; vel per modicam, languidam, aut etiam dubiam fidem; in admirabile illud fidei mysterium, vel ob aliam quamcumque fallacem apparentiam, aut quamlibet excusationem ad excusandas excusationes in peccatis, quibus justam iram J E S U - C H R I S T I provocant, & in seipso concitant, vocantem ad Sacram Cœnam contemnentes: digni omnino, qui in die judicii audiant terrible illud responsum, datum Virginibus fatuis: Amen dico vobis, nescio vos; justissime enim ab æterno Regis gloriæ convivio, cum infidelibus excludentur, qui ad Cœnam Eucharisticaam, ab ipso met Christo institutam, & ab eodem toties vocati & compulsi, venire noluerunt. Avertat Deus optimus à infidelibus Adoratoribus Divini hujus Sa-

E 2

tramenti, in quo ipse autor, & consummator fidei Christus J E S U S substantialiter continetur, tam grande malum: quin potius renovetur, & de die in diem magis accendatur, in cordibus Christianorum, ardens desiderium, sanctioris, & frequentioris communionis Eucharisticæ, quâ fides in Christum, spes, charitas, & omnes virtutes Christianæ augentur, roboretur & perficiuntur; quâ fideles à peccatis mortalibus præservantur; quâ in gratiâ Dei confirmantur, usque ad perfectum diem Gloriæ æternæ: In quâ facie ad faciem videbimus Divinitatem, & humanitatem JESU-CHRISTI, quem sub speciebus panis & vini in Eucharistiâ velatum, credimus, adoramus, realiter ac substantialiter immolamus, & manducamus ad fidei, gratiæ, & charitatis augmentum in animabus nostris.

§. VII.

AUDIAMUS igitur, maternam Ecclesiæ Dei vivi adhortationem, quâ suos omnes filios verbis charitate

plenis urget, & compellit ad Sanctam
 & frequentem Communionem Eu-
 charisticam sic omnes fideles alloqui-
 tur in ultimo universali Concilio, Tri-
 dentinâ Synodo, sessione decimâ ter-
 tiâ, capite octavo, his ipsis verbis : Pa-
 „ terno affectu monet Sancta Synodus,
 „ hortatur, rogit, & obsecrat, per
 „ viscera misericordiæ Dei nostri; ut
 „ omnes & singuli, qui Christiano
 „ Nomine cententur; in hoc unitatis
 „ signo, in hoc concordiæ Symbolo
 „ jam tandem aliquando conveniant,
 „ & concordent: memores tantæ cha-
 „ ritatis, & tam eximii amoris J E S U-
 „ C H R I S T I Domini nostri, qui
 „ dilectam animam suam in nostræ fa-
 „ lutis pretium, & carnem suam no-
 „ bis dedit ad manducandum; hæc Sa-
 „ cra Mysteria Corporis & Sanguinis
 „ ejus, eâ fidei constantiâ, & firmi-
 „ tate, eâ animi devotione ac pietate
 „ & cultu credant, & venerentur,
 „ ut Panem illum supersubstantialem
 „ frequenter suscipere possint, ut is
 „ verè: eis sit animæ vita; & perpe-
 „ tua sanctitas mentis; cuius vigore
 „ confortati, ex hujus miseræ pere-

E 3

„ grinationis itinere, ad cœlestem pa-
 „ triam pervenire valeant, eundem
 „ Panem Angelorum, quem modò
 „ sub sacris velaminibus edunt, absque
 „ ullo velamine manducaturi.

Huc usque sunt verba Sacro-San-
 „ eti Concilii, quibus pro coronide ad-
 „ do, quæ in hunc eundem finem dicit
 „ fessione vigesimâ secundâ, capite sex-
 „ to, initio. Optaret quidem Sacro-
 „ Sancta Synodus, ut in singulis Mis-
 „ sis, fideles adstantes non solum spi-
 „ rituali affectu, sed Sacramentali
 „ etiam Eucharistiæ Communione,
 „ communicarent, quoad eos Sanctis-
 „ simi hujus Sacrificii fructus uberioris
 „ perveniret.

Utinam omnes omnino fideles eâ, quâm requirit Sacra Synodus animi præparatione, Divina illa Mysteria frequentarent; profectò majori Dei gloriae zelo arderent, JESU-CHRISTI in Eucharistiâ residentis, Carne, San-
 guine, Animâ & Divinitate faginaren-
 tur; desideriis, votis & exhortationi-
 bus Sanctæ Matris Ecclesiæ, Christi Sponsæ obsecundarent: nullæ essent
 hæreses, nulla schismata, nullæ dif-

cordiæ inter Christianos Principes ; nulla inter diversas nationes ex quibus universalis Ecclesia componitur, dissidia, & bella; quibus vestis Christi, & sanctæ ejus Sponsæ viscera, crudeliter dilacerantur, & conscindantur. Sed potius omnes Christiani, in eodem Baptismate Christi renati, eodem Pane Eucharistico nutriti, & recreati, arctissimo universalis charitatis vinculo constringerentur, & ut fratres à fratribus adjuti, tanquam leones ignem spirantes, ab hac mensâ Divinâ discederent, facti Diabolo, & omnibus Christiani Nominis inimicis terribiles, sicut castrorum acies ordinata, sub eodem signo Crucis Christi: quo uno omnes hostes debellarent, & omnes gentes, quæ Deum verum, unum, trinum, & JESUM-CHRISTUM ignorant, ad Christianam fidem converterent.

Hic unus est scopus quò tendere in unum debent omnia Christianorum arma, sub uno visibili Christi in terris Vicario, sub uno Catholicæ Ecclesiæ Capite', Pontifice maximo, communi omnium fidelium Patre, & to-

E 4

tius gregis Domini Pastore, cui ipse, Christus Ecclesiæ suæ militantis, quam acquisivit Sanguine suo, curam & sollicitudinem commisit, ut confirmaret omnes fratres suos in fide; ideoque Petro & subinde ejus successoribus ter dixit: Pasce Agnos meos, pasce Agnos meos, pasce oves meas. *Ioan. 21.* Hoc ergo vinculo, unius fidei, Religionis veræ, quæ in sola Ecclesia, Catholica, Apostolica, & Romana reperitur, unico visibili ejus Capiti adhæreamus omnes, tanquam supremo Pastori Ovulis Dominicæ, & non sint in nobis schismata; Deus enim quem adoramus, non est Deus contentionis & divisionis, sed Sanctæ unionis & veræ Pacis.



NUMERUS SEPTIMUS.

*Quam Rex Regum, Salvator omnium
hominum JESUS-CHRISTUS,
Deus-Homo, Sanguine proprio acqui-
sitam Ecclesiam; & in Terrâ Sanctâ
fundavit: eandem ab infami Tur-
carum tyrannide, citius liberent
Principes Christiani; cohortationi-
bus summorum Pontificum, &
exemplis majorum Hæroum ad hoc
Bellum Sacrum animati.*

§. I.

B Revissimo tempore, sævissimi, & potentissimi hostis Christiani Nominis, tyrannicum imperium funditus everteretur: si Principes Catholici, unico, visibili, universalis Ecclesiæ Capiti, in hoc Sacro Bello pro gloriâ Crucis Christi, conjunctis armis & animis adhærerent. Ad hanc Sacram Militiam plurima sunt, quæ illos non modò vocant, & excitant, sed etiam compellunt; ni-

mirum major Sanctissimæ Triadis gloria, Regni Christi recuperatio, militantis, Ecclesiæ propagatio, perpetua nominum eorum memoria, quæ erit in Benedictione coram Deo, & hominibus: hæc magnarum mentium ad quævis ardua capescenda, incitamenta, generalia sunt: quibus tria peculiaria hic adjicio. Videlicet Terræ Sanctæ insignes prærogativæ, exempla majorum Hæroum Orbis Christiani, & cohortationes summorum Ecclesiæ Pastorum; si quod est motivum ad hanc Belli Sacri expeditionem, & accelerationem efficacius & potenter, in medium afferatur: ut omnibus proponitur.

Primum omnium est mente animo-
que considerare, jus præcipuum Ter-
ræ Sanctæ JESUS-CHRISTI San-
guine irrigatae. Felix Bethleem, felix
Palestina, felix Galilæa, felix Judæa,
felix Jerusalem, felix Terra promissio-
nis: felix Terra Sancta, quæ non tan-
tum Sanctos Prophetas, sed & ipsum
Verbum Increatum & Incarnatum,
gignere, videre & audire digna fuisti!

quæ Divinis illius pedibus calcata,
ejus sermonibus instructa, Prædicatio-
nibus illuminata, ejusdem sudoribus,
lacrymis, influentiis gratiarum, lacry-
mis & proprio Dei-Hominis Sanguine
irrigata, & fœcundata fuisti; quæ
eundem JESUM-CHRISTUM,
hospitem, civem, Redemptorem,
liberatorem, & Salvatorem habere
meruisti. Scilicet factus est in pace lo-
cus ejus, & habitatio ejus in Sion,
quæsivimus locum Domino, & ta-
bernaculum Deo Jacob. Ecce audivi-
mus eum in Ephratâ, invenimus eum
in campis silvæ: introbimus in taber-
naculum ejus: adorabimus in loco
ubi steterunt pedes ejus. *Psal. 131.*
Ecce ubi, ipsem Christus tuam fun-
davit Ecclesiam, quam acquisivit San-
guine suo. Hoc in loco Terræ San-
ctæ, quo non est sanctior in toto ter-
rarum orbe, resulxit Aurora legis no-
væ, in splendoribus Sanctorum. Ip-
sius Virginis Deiparæ semper Imma-
culatæ, Apostolorum, Evangelista-
rum, ac primorum fidelium, fide &
charitate ardentium: Adoratorum
Sanctissimæ Triadis in spiritu & veri-

tate, qui omnes primitias spiritus habentes; hic prædicaverunt magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus, dabat eloqui illis.

Quocirca Christus sponsus, hunc thalamum sibi adamans, indeque Sponsam dilectissimam Ecclesiam, Sanctam alliciens: Veni, inquit, de Libano, de Jerusalem, & de Judæa Sponsa mea, veni de Libano coronaberis, de capite Amanâ & de vertice Sanir, & Hermon, utique Judeæ montium, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. *Cant. 4.* Idipsum cæcinit Zachar. c. 13. In die illa, erit fons patens, gratiæ scilicet, & Baptismi, ac Sacramentorum Christi, legis novæ auctoris, Domui David & habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ: & erit in die illa dicit Dominus exercituum. Disperdam nomina idolorum in terrâ, & non memorabuntur ultra: & c. 14. Stabunt pedes ejus in die illâ super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem: & erit in die illâ, exibunt Aquæ vivæ de Jerusalem, & erit Dominus Rex super om-

nem terram. In die illâ erit Dominus unus, & erit nomen ejus unum. Michæas verò c. 4. dicit, De Sion exibit lex & Verbum Domini de Jerusalem. Imò verò ipsemet Christus, Prophætarum Magister ac scopus, mox ascensurus ad Patrem, clarissimè dixit & prædixit, *Luca 24*. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertîâ die: & prædicari in Nomine ejus Pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. Quæ omnia cùm jam completa esse certissimum sit: infelices ergò Christiani qui à suis incunabulis exulant: qui Sanctam Urbem prædicationibus Verbi Incarnati illuminatam, sudoribus & lacrymis illius irrigatam, innumeris ejusdem miraculis & prodigiis illustratam, ac demum ipsiusmet Dei-Hominis pretioso Sanguine, sibi ereptam sciunt, nec lugent. Miseri inquam Christi Confessores, qui Civitatem sanctam Jerusalem, pacis visionem, omnium mirabilium Dei-Hominis amphitheatrum: quæ fuit aurora novæ Ecclesiæ Dei vivi,

primumque ejus regnum spirituale in terris: ab inimicis Crucis Christi saevissimis, à Turcis & Saracenis possideri, prophanari, & infinitis sacrilegiis & abominationibus gentium, polluunt & toleranti. Proh dolor! non est, qui hæc recogit corde, non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt inimici. Migraverunt ex eâ fideles propter afflictionem, & multitudinem infamis, ignominiosæ, & tyrannicæ servitutis; repleta est gentibus quæ nomen Dei blasphemant totâ die & polluunt Templum Sanctum ejus: nullus est locus Sanctis in Sanctuario: Idolis repleta est Civitas Dei videntis. Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. Viæ Sion lugent eò quod non sint, qui veniant ad Solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ sunt, Sacerdotes ejus gementes, Virgines ejus squallidæ, & ipsa oppressa est a maritudine amarissimâ; facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt ex vasis Sanctuarii: Posuerunt Jerusalem in pomorum custo-

diam; & egressus est à facie Sion omnis
 decor: facti sunt Principes ejus velut
 arietes non invenientes pascua; &
 abierunt absque fortitudine ante fa-
 ciem subsequentis: recordata est Jeru-
 salem dierum afflictionis suæ, & præ-
 varicationis omnium desiderabilium
 suorum, quæ habuerat à diebus anti-
 quis, cum caderet populus ejus in ma-
 nu hostili, & non esset auxiliator, in
 tempore oportuno: viderunt eam ho-
 stes Christiani Nominis, & Sepul-
 chrum Christi Gloriosum, est in po-
 testate inimicorum ejus qui Chri-
 stum contemnunt, & spreverunt il-
 lam, quia viderunt ignominiam ejus:
 vide Domine afflictionem Civitatis
 tuae quoniam erectus est inimicus tuus
 contra eam: manum suam misit ho-
 stis ad omnia desiderabilia ejus, quia
 vidit gentes ingressas in Sanctuarium
 suum de quibus præceperas ne intra-
 rent in Ecclesiam tuam: vide Domine
 & considera quoniam Civitas tua, quam
 acquisivisti Sanguine tuo, facta est vi-
 lissima, & abominatio desolationis.
 Plorans plorat in nocte cœcæ gentili-
 tatis: lacrymæ ejus in maxillis ejus,

expandit Jerusalem manus suas ; & non est qui consolatur eam. Audite obsecro Principes, & populi Christiani, & videte dolorem matris vestræ Jerusalem Sanctæ, Domina gentium facta est sub tributo , vocat amicos suos, & Sacerdotes, & omnes filios , & ipsi contemperunt, deriserunt, & deceperunt eam.

§. II.

Sed nunquid semper iratus est Dominus in populum suum ? & abominatus est hereditatem suam ? Absit, postquam iratus fuit propter delicta populi sui, misericordiæ suæ recordatus est. Corda omnium Regum etiam infidelium in manu ejus sunt, quocumque voluerit flectit illa. Ipse est qui Loca Sancta fidelibus suis restituit per Constantiū magnum. Primus hujus Christianissimi Imperatoris Mater, sancta Helena, post filii conversionem, ejus iussu & sumptibus, Hierosolymam profecta, Loca Sancta religiosè venerata, in Bethleem, in Monte Calvariæ , & Oliveti, alibiisque, Regiâ magni-

magnificentia **Templa**, & **Basilicas** exædificavit. Quare cœpit tum eò peregrinatio, à fidelibus frequentari, confluentibus è toto orbe, devotionis ergo, Christianis. Ipse Sanctus Hieronymus relictâ Româ in Bethleem se transtulit, ut ad Christi incunabula viveret, & moreretur; quem secuta Sancta Paula, magnum post se trahens Nobilitatis Romanæ agmen, ibidem quatuor extruxit Monasteria, in quibus, ipsa cum filiâ Eustochio, Christi paupertatem, humilitatem, & Sanctitatem imitata, vitam egit Religiosam, & cœlestem. De quâ Hieronymus, in ejus Epitaphio hæc habet:

„Bethleem ingressa, & in specum Salvatoris ingrediens me audiente jurabat, cernere se oculis fidei, Infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, Stellam fulgentem desuper Matrem Virginem, Pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat; & jam tunc Joannis Evangelistæ principium dedicarent:

„In principio erat Verbum, & Verbum Caro factum est; mixtisque

F

„ gaudio lacrymis loquebatur: Salve
 „ Bethleem domus Panis, in quā na-
 „ tus est ille Panis qui de Cœlo descen-
 „ dit. Salve Ephrata Regio uberrima,
 „ cuius fertilitas, Deus est.

Constantinum magnum secutus est Heraclius Imperator anno Domini 628. Cœlestibus de Cosroë Persarum Rege potitus victoriis, crucem Christi ipsi erectam Hierosolymam Victor reportavit, ac deposito regali cultu, detractisque calceis, & plebeio amictu indutus, illam propriis humeris retulit in eum montem quo eam Salvator tulerat, ac in eodem Calvariae loco statuit, undē à Persis, fuerat asportata.

Ita Sanctæ Trinitatis, Christique injurias ultus Heraclius, hasce de Persis vindicias dedit, imò reddidit Hierosolymæ: Jerusalem enim est Civitas Dei electa, Sancta & Gloriosa, fundata in montibus Sanctis, Centrum & umbilicus mundi, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ, Paradisus orbis, quæ tanquam Regia inter omnes urbes, velut caput in corpore, sicut sol inter astra effulget,

quasi Ecclesiæ militantis capitolium ;
triumphantis typus & præludium.

§. III.

POst Constantinum & Heraclium Imperatores Christianissimos, Urbanus II. Pontifex maximus, æternum decus & gloriam immortalem sibi reperit ; unde & monumento ejus hoc elogium inscripserunt : Urbanus II. Auctor expeditionis in infideles, cùm Concilio apud Clarummontem habito, anno Domini 1095. Ita Principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam à Saracenis jam diu occupatam animavit, ut non dubitaret mori, pro illâ Civitate, in quâ Christus pro nobis mortuus est. Quare effecit, ut trecenta hominum millia nomen in militiam Christi dederint, signumque crucis susceperint : atque inter alios, multi Principes, Duces, Comites, in quibus eminuit Godefridus Bullonii Dux, vir secundum cor Dei, præstantis animi, Religionis, & fortitudinis: qui quâm facile Terra Sancta à Christianis recipi possit, ostendit, dum parvis

F 2

copiis residuis, Hierosolymam anno
 Domini 1099. expugnavit, Feria
 sexta, horâ quâ Christus in Cruce
 mortuus est. Ipseque primus consen-
 sis muris urbem ingressus, primus
 deinde Hierosolymæ Christianus
Rex, quasi novus David creatus, re-
 gnum in posteros sex Reges, per octo-
 ginta annos propagavit: idque merito
 suæ virtutis, pietatis, & modestiæ,
 quâ ut alia prætermittam, Christianis
 Principibus, eum de more, Regio Dia-
 demate coronare satagentibus, hu-
 militatis studio restitit, dictitans: Nol-
 „ le se aureâ coronâ insigniri in Urbe
 „ Sanctâ, in quâ Christus Dominus,
 „ Rex Regum, pro nostrâ salute spi-
 „ neam tulisset: unde eâ contentus,
 „ illiique reverentiam exhibens, Re-
 „ giam respuit. Verè Regum opti-
 „ mus, lumen & speculum Christia-
 „ norum Principum, ait, Wilhel-
 „ mus Archiepiscopus Tyrii *Lib. 9.*
 „ Belli Sacri *c. 9.* Vivet Godefride,
 vivet Urbane, tua virtus & gloria,
 quamdiu sæculorum omnium vivet
 Æternitas.

Orationem Urbani II. quâ in Con-

cilio Claromontano omnes ad Bellum
 Sacrum accendit, recitat idem Wil-
 helmus, in quâ inter cætera, ait: Hæc.
 „ igitur salutis nostræ incunabula,
 „ Domini Patriam, Religionis Ma-
 „ trem; populus absque Deo, Ancil-
 „ læ Filius Ægyptiæ, possidet vio-
 „ lenter, & captivitatis liberæ filiis,
 „ extremas imponit conditiones, qui-
 „ bus versâ vice meritò servire tene-
 „ batur. Saracenorum gens impia;
 „ Sacra Loka, in quibus steterunt pe-
 „ des Domini, jam à multis retro tem-
 „ poribus, violentâ premit tyrannide,
 „ subactis fidelibus, & in servitutem
 „ damnatis, ingressi sunt canes in San-
 „ cta; profanatum est Sanctuarium,
 „ humiliatus est cultor Dei populus:
 „ Angarias patitur indignas genus ele-
 „ ctum; servit in luto, & latere re-
 „ gale Sacerdotium; Princeps Pro-
 „ vinciarum facta est sub tributo
 „ Civitas Dei vivi.

„ Templum Domini de quo zelans
 „ Dominus vendentes ejecit, ne Do-
 „ mus Patris ejus, fieret spelunca latro-
 „ num, facta est sedes Dæmoniorum.
 „ Templum Domini, inquam, ut ait

„ Mathatias, quasi vir ignobilis, vasa
 „ gloriæ ejus abducta sunt captiva,
 „ Civitas Regis Regum, quæ aliis re-
 „ gulas intemeratæ tradidit fidei,
 „ gentium superstitionibus cogitur in-
 „ vita deservire, Sancta Resurrectio-
 „ nis Ecclesia, requies dormientis
 „ Domini, eorum fædatur spurciis.
 „ Loca venerabilia, quâ Dominum
 „ in carne suscepérunt hospitem, si-
 „ gna viderunt, senserunt beneficia,
 „ facta sunt gregum præsepio, stabu-
 „ la jumentorum. Accingimini ergo,
 „ & estote filii potentes, ut pugnetis
 „ adversus infideles, quoniam melius
 „ est mori nos in bello, quam videre
 „ mala gentis nostræ, & Sanctorum.
 Audite hæc Principes, audite Chri-
 stiani omnes, summi Pastoris vestri
 Christi Vicarii lamenta, imò tot
 oracula quot verba.



NUMERUS OCTAVUS.

Syllabus summarum Pontificum, Regum, & Principum Christianorum, qui Urbani II. cœpta magno zelo, contra inimicos Crucis Christi prosecuti sunt.

§. I.

Verè magnanima & boni Pastoris gregis Christi cœpta, totis viribus prosecuti sunt, succedentes ex ordine Pontifices, Paschalis II. Gelasius II. Calistus II. Lucius II. sed maximè Eugenius III. qui anno Domini 1243. urgente Ludovico VII. Rege Francorum, & Sancto Bernardo, expeditionem in Terram Sanctam suscitavit; ac Sanctum Bernardum ad omnes Galliæ, & Germaniæ populos, qui eum ut Prophetam, & Apostolum suscipiebant, in eam concitandos auctoravit. Quare sequenti anno, omnium consensu Sanctus Bernardus totius Belli Dux & Princeps militiæ electus est. Verùm

F 4

satis visum est Eugenio; si ille tubâ Sacerdotali clangendo, indiceret bellum, & tam verbis quam litteris Christianos ad id excitaret: quod illum felicissimè sequentibus signis, & prodigiis innumeris præstitisse testantur acta vitæ ipsius, & epistolæ ab eo conscriptæ; nec non & Otto Frisingensis: sed magis ipse rerum successus; dum non solum Ludovicus Rex, celebrato apud Verzelacum Conventu, Crucem quasi Belli Sacri insigne, ab eodem Sancto Bernardo sumpsit, unâ cum multis regni sui Principibus, & Optimatibus; quos tam ingens populi multitudo secura est, ut vacuarentur urbes & castella: sed ex ejusdem hortatu Conradus Romanorum Rex, generali apud Spiram Conventu indicto, æque Crucem unâ cum Fratre suo Henrico Duce Noricorum, aliisque Principibus & Nobilibus plurimis, etiam Polonis, adeoque Henrico Boleslai Regis Fratre, teste Cromero, *Lib. 6.* Polono accepit: quibus cum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otto Frisingensis, virtutibus & meritis clarus. Qui

demùm addit, non solum ex Romano Imperio, sed etiam è vicinis regnis, putà Franciâ, Angliâ, Pannoniâ, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis famâ ad sumendam crucem commotis, repente sic totum Occidentem siluisse, ut non solum bella movere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Utinam nunc iterum Sanctus Bernardus, veniens è Cœlo, classicum fidibus canat! utinam omnes Christiani, vocem Paternam Vicarii Christi ad Sacrum Belum contra Turcas, omnes fideles, maximè Principes, adhortantis adientes, non obdurent corda sua in æternam animarum suarum peniciem!

Avertat Deus optimus hoc malum à Christiars Principibus? Ludovicum & Conraum aemulatus est Sanctus Ludovici, Francorum gloria, dicam an Sanctis? an verius utrumque? qui in Palstinam, non tantùm copias transmisit sed ipse quasi earum dux, relicto aito solo, & regno, per tot terrum mariumque spatia, maximis ipendiis, laboribus, & cona-

tibus semel & iterum trajecit, ut eam
Saracenis extorqueret: & Christianis
pristinis hæredibus assereret: sed cum
peccatis fidelium exigentibus, idip-
sum quod tanto conamine, & animo,
tantaque virtute moliebatur, Regum
omnium Christianissimus & Sanctissi-
mus, perficere non posset: mortem
tamen, in tam gloriosâ expeditione
oppetere non dubitavit, anno Domini
1270. Tunc fidens cygnæum ce-
,, cinit: Introibo in domum tuam Do-
,, mine, adorabo ad Tenplum San-
,, ctum tuum; & confiteor nomini
,, tuo. Nimirum sic tenit ad astra
per aspera virtus. Quin & operis tam
Christiani prosequendi & perfici-
endi decus, filiis postrisque suo

tiant inimici Crucis Christi, quām sit, ex utraque parte acutus gladius, Primogeniti militantis Ecclesiæ Filii.

Quid porrò dignius tanti Regis nomine, potentia, & virtutibus? quid propugnatori fidei, & hæreticorum miti & forti dominatori congruentius? quām sævissimum Christianorum hostem debellatum, Regis Regum Christi, jugo subjicere, & ab infami ejus tyrannide innumeros fieles, Dei-Hominis Sanguine renatos asserere in libertatem Filiorum Dei nihil profectò, desiderari potest aptius, nihil inveniri convenientius, nihil addi magnificentius, ad absolutissimam gloriæ illius coronam, atque ad votorum omnium summam, & nostrorum desideriorum apicem; ut cantemus Deo, uni, trino, gloriösè; ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni justitia, castitate, & pietate Christianā: expectantes beatam spem, & adventum magni Dei, qui reformabit Corpus nativitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ: & tunc suos omnes electos offe-

ret Patri suo, in regnum æternum;
ut sit solus Deus, unus, trinus, om-
nia in omnibus. Amen.

§. II.

O Domine Deus exercituum, in cu-
jus manibus sunt omnium Regum
corda, suscita hunc Sancti Ludo-
vici zelum, in omnibus Regibus &
Principibus Catholicis, præsertim
Turcæ limitaneis, & confinibus: ut
unanimes in tantum opus conspirent;
sed & remotiores excita, omnipoten-
tis gratiæ tuæ motibus; ut in partem
tam gloriosi operis veniant: ac nomi-
natim Sancti Ludovici sequaces, hæ-
redes, & cognomines; ut victricia
arma ab Hæreticis in Saracenos trans-
ferant, ac Francos, cæterosque, otia-
ri, & oscitare nescios, opere tam san-
cto occupent, ne ipsorum ardor, in
bellum vel civile, vel Christianum
aecdatur, quo se invicem consu-
mant, turpemque dent maculam in
gloriam suam, ac iram Dei in se con-
cident: quin potius, magnanimus &
martialis eorum spiritus, erumpat si-

cut fulmen, in Turcas, Tartaros, Saracenos, juratos Sanctissimæ Trinitatis, Christique Hostes, totiusque Ecclesiæ militantis. Sic majorum suorum victorias non modò adæquabunt, sed etiam supergredientur universas. Hoc enimverò nomen Christianissimum magnis illis Regibus hæreditarium, hoc Sanctus Ludovicus progenitor, hoc generosa indoles, & animi celsitudo, hoc sanctæ Ecclesiæ amor, & fidei ardor, hoc victoriæ & tropheæ, contra Crucis Christi perduelles cœlitus data, hoc Præfules, hoc summi Pontifices, hoc fideles omnes, summæ ipsorum gloriæ verè cupientissimi jure suo ab eis efflagitant & sperant ac supersperant: fiat, fiat.

Sapienter Sancta Virgo Catharina Senensis Theodidacta (uti refert Raymundus Generalis Ordinis Prædicatorum, & ex ipso Ambrosius Catharinus in ejus vita) summos Pontifices Gregorium XI. & Urbanum VI. anno Domini 1375. & sequentibus, acriter ad bellum Turcis inferendum exstimulavit. Cumque Pontifex regeret, illud in tot intestinis Princi-

pum Italiæ , aliarumque Regionum dissidiis, importunum videri; institit illa, imò verò , inquit, nunc maximè opportunum est , adeoque nullum efficacius remedium ad dissidia hæc tollenda suppetit: quàm si fœdus Sanctum sanciatur, quo omnes, paribus animis in communes Christi, & Christianorum hostes conspirent: ibi suos animos, & impetus , suos pugnandi ardores irasque effundent; eaque ratione privatas ponent lites , & odia convertent in charitatem Christianam ; ita , ut alios taceam, Rogerius , & Boëmundus Fratres, Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ Principes, continuò inter se de Principatu digladiantes , ab Urbano II. fœdere Belloque Sancto conciliati , arma fraterna, in Saracenos verterunt.

Boëmundus enim occupatâ Melphi; cupiditate gloriæ incensus, cum duodecum millibus delectæ juventutis Italicæ, in Terram Sanctam profectus, suâ hac virtute animique præstantiâ , Fratrem Rogerium permovit, ut positis armis dixerit sibi omnia cum Fratre deinceps fore communia :

ac statim, Tancrenum filium, pugnandi cupidum, belli comitem, fratri tradidit; ait Platina, in Urbano II. Par modo acerba Germanorum, Bulgarorum, Polonorum, dissidia sopita fuisse, expeditione in Terram Sanctam, Duce Conrado Imperatore, narrat Otto Frisingensis *Lib. 1.* de gestis Frederici I. Imperatoris *Cap. 29.* Sapienter Livius *Lib. 2.* Bella exter-
 „na, inquit, sedant domesticas sedi-
 „tiones: externus timor, magnum
 „concordiæ vinculum. Id ipsum perva-
 det metuitque Turca, quocirca
 omni conatu Christianos Principes,
 à se invicem divellere, ac inter eos
 lites, & bella ferere molitur: eâ de
 causâ, dum vicinum aggreditur,
 cum remotioribus fœdus init: imò
 eos in vicinum concitat; itaque
 Christianum Principem, Christiano-
 rum armis expugnat. Quo facto
 remotiores gradatim, eâdem arte
 & fraude circumventos, ac ab aliis
 desertos aggreditur, occupat, &
 subjugat.

Fœdisfragus enim ipse cùm sit: fœ-
 dus initum, dum ei lubet quæsitâ oc-

casione abrumpit ; cum ex adverso Christiani, insidiosi fœderis nomine, magis quam Religione irretiti, vicinos ab eo invasos protegere non audent, sicque ipsos, ejus prædæ exponant; mox & ipsi ejus præda futuri. Norunt Historiarum & rerum Turcarum periti, Turcam subinde jurare super Libro Smegmatico, eoque modo imposturam Christianis facere, ac juramentum violare, dictitando, se super libro ficto, non vero, ac proinde fictè, non verè jurasse: quare jure ei „, regerant, Christiani: Frangenti „, dem, fides frangatur eidem: juxta „, regulam 75. Juris in 6. Frustra sibi „, dem quis postulat ab eo servari; cui „, fidem à se præstitam servare recusat.

Nimirum fœdifragus fuit Bajazetes, qui Venetis contra Pacta Coronem, Methonem, & Naupactum admittit. Bajazetem imitatus nepos Solimannus, qui anno Domini 1537. totis viribus Italiam aggredi destinabat; sed temeritate cuiusdam Veneti, Triarchæ offensus, omnes iras, & copias in Venetos sibi fœderatos effudit: Corcyra ipsorum insula, longè late-
que

que vastata, & insulis Cycladibus dis-
reptis, negotiatoribusque Venetis, to-
to Turcico Imperio, cum universis
eorum opibus, & pecuniis in prædam
datis: insuper eosdem Nauplii & Epi-
daurici concessione, ac duabus, in
Dalmatiâ arcibus, Nadino & Lubinâ
mulctavit. Solimanni enim erat vox:
„Dummodò regnem nil moror: Sicut
„in Cœlo unus Deus, ita in terrâ
„unus Solimannus est colendus. Soli-
mannum Patrem imitatus Selymus,
fœdus jure jurando cum Venetis ini-
tum violans; eis Cyprum extorsit,
quin & eis insultans adjecit hæc verba
ludicra.

„Barba mihi à Venetis apud Nau-
„paustum abrasa succrevit; ego verò
„eis Brachium dextrum, captâ Cypro,
„amputavi, quod numquam recres-
„cet. Annon hæc Societas Leonina?
Pari modo fecere, & faciunt, & fa-
cient cæteri. Nulla ergo in Turcis fœ-
dfragis requirenda fides, cum enim
ab origine fuerint sintque orbis præ-
dones; toti opibus regnisque Chri-
stianorum, per fas & nefas inhiant. In-
terim lethargo, quasi sopiti, altum

G

dormiunt Christiani ; quia quisque longè à se Turcam , & se ab ejus jugo abesse autumat ; quâ in re errant omnes gravissimè. Idem censebant olim Constantinopolitani , Trapezuntii , Thraces , Bulgari , Bosnii , Servii , Hungari , cæterique. At jam à Turca capti , errorem suum vident , & seriò , sed serò lugent :

*Felix quem faciunt aliena pericula cau-
tum ,*

Alterius damno qui sapit , ille sapit.

Tam opportunam occasionem à Deo datam perdendi maximum Christiani Nominis hostem , arripiant Principes fideles , ne eos serò sed seriò pœnitentiat.

§. III.

SÆvissimus Christiani Nominis , Hostis , ferox inimicus Crucis Christi ; superbus & impudens , sacrilegus , fœdifragus , in limine & penè invisceribus est Christianorum , & illum à se remotum dictitant : ô cœcitas ! ô stupor ! An expectandum ultimum excidium , quo opprimantur universi ? Venetis totique Italiæ inhia-

vit: Viennam fortissimum Christiani orbis propugnaculum, jam ter obse-
dit; & quidem anno præterito illam haud dubiè vi occupasset: nisi Deus exercituum fecisset potentiam in bra-
chio suo: vincendo in suis Ducibus. Cæterum adhuc Cretam, & Came-
micum obtinet, nec præteritâ clade frangitur: novos conscribit exerci-
tus, majora molietur, occasionem præstolatur seminandi zizania in agris fidelium, si vel modicum dormiant: semper enim vigilat hostis ille mali-
gnus, in perniciem Christianorum.

Quàm ob rem inducias cum Turcâ pacisci, est illi tempus dare, quo illi-
cò more suo, imparatos Christianos adoriantur, & incautos opprimat. Ut-
nam periculum hoc adeò, quàm cer-
tum est & præsens, conspiciant, &
inito contra eum communi fœdere discutiant Christiani, dum res est inte-
gra, ne serò cum cæteris jam à Turcâ
occupatis suum torporem, suaque dis-
fidia accusent & defleant. Nunc cùm
domi rebellione gravi variâque agita-
tur; cùm ducibus, consilio, & æra-
rio destituitur, cùm Principes Catho-

G 2

lici tot victoriis, à Deo datis, ad Bellum Sacrum invitantur, tempus est opportunum illum totis viribus invadendi, & quasi certa spes profligandi: quod si oblatum à Deo exercituum tam opportunum rei bene gerendæ tempus, neglexerimus, serò poenitentes illud requiremus.

Nihil enim tam volucre est quàm occasio, nihil levius, cùm se offert, penditur, nihil magis, cùm abiit, desideratur, nihil periculosius amittitur, nihil denique difficilius recuperatur. Quis verò dubitet Turcam Italiæ & Christianis imminere? cùm Tunetanum Regnum ab eo occupatum, à Siciliâ; Epirum, & Macedoniam, à Dalmatiâ, Forojulium, tenuissimo tractu videat disterminari? cum Apollonia Turcico oppido, Hydruntum regni Neapolis urbem, antea quoque à Turcis possessam, unius noctis spatio annavigari posse intueatur? denique nuper omnium Christianorum luctu expugnata Candia, commune est omnibus periculum.

Quid Hispanis, Italis, Gallis infidiosius, Alligerio? quid Fessâ, Mar-

roco, Bisertâ, & totâ illâ Afrorum,
 vafrorum societate est infestius? An
 Gallia ergo expers? nequaquam: Ma-
 ria quæ utramque ejus partem alluunt,
 adeò Turcicis sunt infesta latrociniis,
 ut non ora, non sinus, non portus ali-
 quis tutus, & eis non exploratus esse
 videatur: quocirca Joannes ille Tar-
 novius Comes, qui sæpius Poloniæ
 exercitibus victor præfuit dictitabat:
 „ Omnia Poloniæ Comitia, præci-
 „ puam Belli Turcici meditationem
 „ esse debere. Idem dicas de Comi-
 tiis Germanicis, Gallicis, Italicis, Hi-
 spanicis. Celebre est illud Græcorum,
 apud Pachymerem *Lib. 5. Historiæ.*
 „ Cum hostibus Crucis geratur Bel-
 „ lum, ubi & victoria, laudabilis est,
 „ & vinci salutare. Item. Pax colenda
 „ ubi Dei jacturam non facimus, Bel-
 „ lum gerendum, ubi Religio pericli-
 tur, totaqué Respublica.

NUMERUS NONUS.

Acta præclara, summorum Pontificum, qui Eugenii III. zelum pro Terrâ Sanctâ æmulati sunt, ex quibus manifestum est curam Sacri fæderis in Turcam, maximos Pontifices, maximè decere, esseq; quasi hereditariam Romanis Præsulibus.

§. I.

 Uapropter ut ad Pontifices, Christi in Ecclesiâ militante Vicarios, & Sacri Belli tubicines redeam, Eugenii III. pro Terrâ Sanctâ zelum æmulati sunt Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cœlestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. cui mox succedens Innocentius IV. testibus Platinâ, Onuphrio, & aliis, Legatos per Franciam, & cæteras Provincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, & Sancti Ludovici signa, castra-

que in Terram Sanctam sequi. Ad eandem Christianos incitavit Alexander IV. Urbanus IV. Nicolaus IV. Innocentius VI.

Eugenius IV. verò Pontificatum iniens anno Domini 1431. in Turcas mari classem, terrâ exercitum, Legato Juliano Cesarino Cardinale misit: ac Duce Ladislao Poloniæ Rege triginta Turcarum millia uno prælio inter Adrianopolim, & Danubium cecidit. Tunc quoque Joannes Hunniades à Ladislao Transilvaniæ Præfектus, multos Amuratis exercitus delevit, Moldaviam recepit, maximam Serviæ & Bulgariæ partem viætricibus armis percurrit.

Eugenio IV. succedens Nicolaus V. anno Domini 1447. vehementer institit, ut Bellum communi omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur; quos jam parare arma contra Constantinopolitanos senserat: & eâ de causâ Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui Imperatori, & civibus auxilium pollicetur; si ad Catholicam fidem, ut in Concilio Florentino promiserant, re-

G 4

dire voluissent; sed illis in schismate persistentibus, justa Numinis vindicta, Mahomet Turcarum Imperator, Constantinopolim paulò post expugnavit, anno Domini 1453. ac occiso Imperatore Palæologo, crudelissimè, urbem ferro, flammâque vastavit, teste Chalcondilâ *Lib. 8.* & aliis: cuius rei labem Pontificatui suo impactam, dum abolere, coactis in Turcas copiis studet Nicolaus, arthriticis doloribus extinguitur.

Nicolai studiis insistens successor Calistus III. creatus Pontifex anno Domini 1455. illico Turcis Bellum indexit. Repertum est in scrinio ipsius hac de re votum, antè Pontificatum hisce verbis futuri præsagis conceptum.

„ Ego Calistus Pontifex Deo omnipotenti voveo, & Sanctæ Indivisiæ Trinitati, me Bello, maledicis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscumque, rebus posterioro, Turcos Christiani Nominis hostes sævissimos persecuturum. Quamobrem illico Prædicatores per totam Europam misit, qui Christianos omnes ad arma contra Turcas

concitarent, quin & per Legatos Usūm
Cassanum Persarum Regem contra
eosdem accedit.

Ipse sedecim triremes Romæ ædifi-
catas in hostem misit, Ludovico Pa-
triarcha Aquileiensi præfecto, qui
triennio maritima hostium, Asiano-
rum vexavit, insulas quasdam cœpit,
ac magnas clades hostibus intulit. Al-
fonsus autem Rex, & Burgundiæ
Dux Crucis signum suscipientes, itu-
ros se quoque in hostem profitebantur,
vel armatos milites eò missuros; jus-
sit insuper Calistus, in Meridie cam-
panæ sono fideles admoneri, ut ora-
tionibus eos juvarent, qui contra
Turcas dimicabant. Hac ratione par-
ta fuit illustris victoria: Christiani
enim, Duce Joanne Vaïvoda, adhor-
tatore Joanne Capistrano Minoritâ
apud Belgradum anno Domini 1456.
sexaginta Turcarum millia cecide-
runt; captis centum sexaginta Bellicis
tormentis, Mahometes tyrannus sau-
cius fugâ salutem quæsivit. Èâ victo-
riâ Pontifex, Festum, idest Officium
Solemne Transfigurationis J e s u-
CHRISTI die sexta Augusti instituit.

Ita Platina, *Onuph. Geneb. in Chronol.*
Suarez To. I. de Relig. l. 2. c. 5. Azor.
Tom. 2. l. 1. c. 15. Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si Christiani Principes omissis intestinis odiis, & Bellis, terrâ ac mari tantam victoriam prosecuti fuissent sicut Calistus monebat, & urgebat. Verum, dum illi segniter rem Christianam agunt, Turca resumptis viribus, Trapezuntem, prius, Imperatore interempto, Bosniam deinde, Rege capto atque imperfecto, cœpit. Prævidebat hæc ex specula Calistus, & gemebat, nec cessabat litteris, & Nunciis Principes Christianos adhortari, ut in tantis malorum periculis, oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quæsitos ubi jam hostis invalueret. Vide hic quām Pontificibus ex officio, continua, & quasi hæreditaria fuerit cura Sacri Fœderis contra Turcas modis omnibus sanciendi: & quantis contibus Principes Christianos, boni Pastoris sollicitudinibus obsecundare, expediatur, ad universi Christiani, orbis salutem. Quapropter Calisto III. succedens Pius II. magni animi, sa-

pientiæ , facundiæ & zeli vir ; con-
 ventu Principum è totâ Europâ Man-
 tuæ indicto, nervosâ & efficaci ora-
 tione iisdem persuasit , ut Bellum
 communi omnium decreto Turcis in-
 diceretur. Verùm decretum hoc infre-
 gerút mox intestina Bella, quibus Ger-
 mani, Hungari, Britanni, Hispani,
 Itali in se mutuò armâ verterunt. Ste-
 tit tamen in sententiâ animosus Ponti-
 fex, dumque classem, quæ passim in
 portubus superi & inferi maris ad
 tantum Bellum fuerat ædificata , at-
 que Venetorum Ducem Belli sòcium
 Anconæ expectat , diutinâ & lentâ Fe-
 bri afflictatus moritur anno Domini
 1464. Pontificatus 6. Sepultus in Basi-
 licâ Sancti Petri cum hoc elogio : Pius
 „ II. Pontifex maximus , natione Tus-
 „ cus, Patriâ Senensis , sedit annos sex.
 „ Brevis Pontificatus jugis fuit Gloria.
 „ Oppugnatoribus Romanæ Sedis ,
 „ intra , atque extra Italiam restitit ,
 „ conventum Christianorum Mantuæ
 „ pro fide habuit , Catharinam Senen-
 „ sem inter Sanctas Christi retulit ,
 „ cultor justitiæ & Religionis. Ad-
 „ mirabilis eloquio , vadens in Bel-

„lum quod Turcis indixerat, Anco-
„næ deceſſit: ibi & classem paratam,
„& Ducem Venetorum cum ſuo Se-
„natu commilitones Christi habuit.

§. II.

PIo II. ſuffectus eſt Paulus II. an-
no Domini 1464. qui accepto
nuncio Turcas captā Epiro, in Illiri-
cum iter parare, Legatos misit ad Re-
ges, eos oratum ut compositis rebus
ſuis, de Bello Turcis inferendo ad
propulſandum injuriam Christiano
Nomini factam cogitarent: & ſeriō
totis viribus incumberent. Paulum II.
excepit Sixtus IV. anno Domini 1471.
qui ut Christianos Principes inter ſe
diſſidentes ad concordiam revocaret,
& Sacro in Turcas födere ſociaret,
Bessarionem Cardinalem Nicenum
misit in Galliam, Rodericum Bor-
giam, in Hispaniam; M. Barbum, in
Germaniam & Pannoniam; Olive-
rium Carafam Maritimæ 24. trire-
mium Clasſi præfecit. Hisce junxere ſe
quinquaginta Venetorum, 24. Ferdi-
nandi Regis Aragonum, adeo ut illis

Turcæ ex Bosphoro, in Ægeum mare
obviam prodire non sint ausi. Smyrna
tunc in Asiâ capta, incolæque omnes
abacti, constans fama est, Christianos
eo anno magnam Asiæ partem, occu-
paturos fuisse, si ipsi mari, sicut Usûl
Cassanus Persarum Rex terrâ, Turcas
vexare perrexissent. Mox cùm Sco-
dra Ditionis Venetæ oppidum à Tur-
cis oppugnaretur, Sixtus Scodranos
commeatu & pecunia instruens ad ho-
sti resistendum animavit. Rursum
cum Turca Hydronte in Salentinis re-
pentè vi captâ, Italiam omnem incre-
dibili terrore complexisset, Sixtus com-
paratâ classe hostem retrogredi com-
pulit. Sub id tempus Cyprum occupa-
runt Veneti, ne in Turcarum pote-
statem veniret: Mahometes maxi-
mis viribus Rhodum oppugnans eam
fortiter tuente magno Rhodiensium
Equitum Magistro re infectâ discedere
coactus est. In Sixti IV. morientis lo-
cum suffectus Innocentius VIII. anno
Domini 1484. omnes Christianos
Principes frequentibus nunciis horta-
tus, ut mutuis dissensionibus, & Bel-
lis compositis, fœderibus juncti Tur-

carum vires toto jam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Bajazetis Imperatoris Fratrem exceptit, ac ejus operâ Bellum Bajazeti inferre meditabatur: qui ut illud à se averteret, quot annis Romam quadraginta aureorum millia, ad alendum fratrem submisit, atque Pontifici dono dedit, ferrum lanceæ quo latus Christi in Cruce perforatum est, quod Religiosè in Vaticana Sancti Petri Basilica asservatur, & visitur.

Constat igitur ad unum omnes ab Eugenio IV. usque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, foederi Bellisque Sacro totis animi viribus incubuisse, nimirum Nicolaus V. Calistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis institerè Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius V. cuius operâ Solimannus Melitensem obsidionem solvere coactus est.

§. III.

ATque ut cœteros taceam; horum ac nominatim Pii II. & Pii IV. tam spiritus quam nominis hæres

& æmulus Pius V. suis suorumque
commodis neglectis, curas omnes ad
publicam salutem convertens, Bel-
lum sociale cum Rege Catholico, &
Venetis iniit, ac de Turcis memorabi-
lem illam apud Naupactum, in sinu
Lepantino victoriam retulit anno
Domini 1571. Græciam multaque alia
erepturus inimicis Crucis Christi, si
Ducum nationumque concordia con-
stitisset, & expeditionem feliciter
cœptam constanter prosecuta fuisset.
Sed Christianis accidit quod Maharbal
a Cannensi pugnâ dixit Hannibali:
„Vincere scit Hannibal, at victoria
„uti nescit. Hoc ergo illustrium Pon-
tificum, Urbanorum, Eugeniorum,
Calistorum, Piorum, cæterorumque
penè omnium ab Urbano II. usque ad
Gregorium XIII. illustre fuit opus,
hoc decus, quorum proinde nomen
& gloria in terra apud homines, æquè
ac in Cœlo apud Sanctissimam Tri-
adem & Angelos, Sanctosque in om-
ne ævum perennabit: utique memi-
nerant illi, se Pastores esse non urbis
dumtaxat, sed & universi orbis. Scie-
bant primas summi Pontificis curas

esse debere, ut fidem, Ecclesiam, cultum & regnum Christi ubi vis gentium propaget. Sciebant Præfulis Apostolici proprium esse munus imitari Sanctum Petrum, cæterosque Apostolos, qui vel per se, vel per suos universum mundum Christo subegerunt. Noverant fideles, etiam infidelibus subditos, suas esse oves, sibi à Christo, ut Beato Petro concreditas; ac proinde sui officii esse eas pascere, tueri, & in libertatem asserere Filiorum Dei, quocirca muneri huic suo plenè satisfacere modis omnibus satagerunt.



NUME-

NUMERUS DECIMUS.

*Causæ cur tantis conatibus summorum
Pontificum, exitus non responde-
rit: & ex adverso, tria efficacis-
sima media, ad debellandum com-
munem Ecclesiæ hostem; & potentis-
sima motiva ad Bellum Sacrum.*

§. I.

Non Ariæ sunt causæ cur tantis co-
natibus, tot summorum Eccle-
siæ Pastorum exitus non sem-
per responderit. Primò, Imperato-
rum Græcorum perfidia. Secundò,
Quia promiscua, inops, & imbellis,
fidelium turba, devotione excitata ad
Bellum concurrit. Tertiò, Quod ea-
dem Acephala fuit & carens idoneo
Duce. Quartò, Quia inter Duces con-
cordia non constituit. Quintò, Quod
nervus Belli pecunia deficeret. Si-
quidem ad tantam expeditionem, opus
est: Primò, uno summo Capite, eoque
insigni. Secundò, lecto, & veterano

H

milite. Tertiò, ærario solido. Quæ tria Reges Christiani hoc tempore, facile præstare possunt, si verè & efficaciter velint.

Auxilia deindè valida, variæ Provinciæ & gentes ultrò præbebunt: quorum omnium subsidiorum nullus fidelior œconomus, ac dispensator desiderari, à fidelibus potest, quām omnium Christianorum communis Pater, summus Ovilis Dominici Pastor. His adde quod Christiani, qui Provincias Turcæ subditas incolunt, durissimamque serviunt servitutem, quin & sola Christiana Turcarum mancipia, multis subindè partibus ipsos Turcas numero superant, uti oculati testes referunt: adeoque hic Turca tria, ille decem, alias viginti possidet mancipia, quæ ut tyrannicum herile jugum excutiant, decertabunt usque ad mortem, cùm servitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior.

Exemplo sit Georgius Castriotus, qui anno Domini 1443. Amuratis jugum exutiens, Epiri se Principem constituit, ac solus cum suis Epirotis, per omnem vitam Bellum cum Turca

gescit, multasque, & magnificas, de eo victorias reportavit; unde Turcis ita formidabilis extitit, ut ab eis Scander Begius, idest Alexander magnus, sit nuncupatus.

Quin & solo ejus nomine audito, eum scilicet adventare, illicò velut viso fulmine diffugerent: de cuius gestis planè hæroicis libri tredecim extant. Coævus & quasi collega fuit Joannes Hunniades, cuius paulo ante memini, cognomento Fulmineus, Turcarum terror pariter & Fulmen, qui variis præliis facile millionem Turcarum cecidit, cuius hoc erat Axioma:

„Turcam à Christianorum Provinciis, puta ab Italiâ, Germaniâ, Poloniâ, longius esse submovendum:
 „nec expectandum donec ipse Christianorum regiones invadat: sed in Thraciam, & Turciam Christianis esse transcedendum, ibique cum eo configendum; perinde ac Alexander magnus cum Dario in Asia, Hannibal cum Romanis in Italia, Scipio cum Carthaginensibus in Africa, dimicarunt.

HUNNIADIS, & Scanderbegii; æquè ac Ladislai asseclæ, imò successores, sunt Reges & Principes Poloni, & Hungari; qui ut potè Turcis, & Tartaris contermini, cum eis-que assiduè Belligerantes, & de inimicis fidei triumphantes, penè soli rem hanc confident, si quis eis por-
tionem pecuniæ ad tantum opus ne-
cessariæ suppeditet. Imò dum taxat
prænumeret: facilè enim ipsi eam
deindè ex victorum spoliis, & Pro-
vinciarum, quas subjugabunt tributis
refundent. Atque videtur Deus idip-
sum nuperà eorum clade, tam insigni
victoriâ Christianorum præsignifica-
se, adeoque inchoasse. Sanè apud
Turcas in fatis est, & certum quasi
oraculum, suum Imperium à Polo-
nis evertendum: alii dicunt à Fran-
cis, verius fortasse ab utriusque armis
conjunctis.

Quocirca hæc præ aliis expedita, vi-
ris sapientibus videtur ratio, sine mo-
lestia, sine ambitione, & discordia,
quæ inter plures intercedere solet om-
ne hoc negotium absolvendi. Polo-

num enim Regem ultrò sequentur non solum Kosaki Turcarum terror, sed & plurimi Nobiles Poloni, Hungari, Germani, Galli, Itali, Walachi, Moschi, & alii plurimi suis expensis, spe gloriae vel praedae illecti, imò non pauci, divinâ spe freti, & æternæ coronæ desiderio, protinus ad Bellum Sacrum convolabunt: præsertim, si summi Pontificis auctoritate, Crucis vexillum, per Verbi Divini praecones levetur, & dilatetur per totum orbem Christianum. Sanè à Danubio ex Walachia, quæ Poloniæ adiacet, Constantinopolim usque non nisi decem dierum est iter. Quare id ipsum animo designabat Stephanus Battoreus, sapiens æquè ac magnanimus Poloniæ Rex, eaque de causâ fœdus contra Turcam cum Philippo II. Hispaniarum Rege pepigerat: dicitans se Philippi, in hoc Bello fore stipendarium: qui si vixisset, utique, unus ille Turcam profligasset, & Imperio exuisset; præsertim Persa ex altera parte eundem invadente. Polono enim & Persa, ex fœdere in exi-
tium Turcæ conspirantibus, Turca

H 3

resistendo non est; sed succumbat & pereat oportet. Porro Polonis Turcum Bellum est necessarium; tum ut Turcam longius à finibus suis submoveant, tum ut perpetuos & furtivos Tartarorum incursus à se in Turciam avertant; ibique cum utrisque aperto marte confligant, uti nuper, gloriösè & feliciter fecerunt. Poloni ergo & Germani, cum auxiliis summi Pontificis, Regis Christianissimi, & Regis Catholici, Walachiam, Hungariam, cæterasque Provincias nuper à Turcis fraude sibi ereptas, facile recuperabunt.

Sed proh dolor! proh scelus! Christiani in Christianos, ob terræ angulum, ob exile honoris punctum, internecinis odiis & præliis inter se decertant! à Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi Sanguine redemptus: madent manus Christianæ Christianorum sanguine, & carnem Christianam, Carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt? Ubi fides? ubi spes? ubi timor Dei? ubi charitas? ubi Religio Christiana? ubi Philadelphia & amor fra-

ternitatis? Christiani uno Christo Pa-
tre, una Ecclesiâ Matre regenerati, uno
Pane Eucharistico viventes, una fide,
una spe, unâ charitate consecrati, &
confociati, unius Dei, unius Religionis
vinculo, & Sacramento constricti, sese
quasi lupi spoliant, laniant, excarnifi-
cant. Hæc videt & in sinu ridet Turca,
ac quasi tigris hinnulos de gleba grami-
nis inter se arietantes, occupat, rapit,
& devorat: tam lenti audient ista? tam
lenti vident Principes Christiani?

Ita est, Christianorum dissidia perdi-
derunt, & Turcis prodiderunt Asiam,
Græciam, Hungariam, aliaque opu-
lentissima regna. Hoc est quod que-
ritur Michæas: Filius contume-
liam facit Patri, & inimici hominis
domestici ejus, c. 7. Et Jeremias:
Omnes amici ejus spreverunt eam,
& facti sunt ei inimici, *Thr.* 2. Et
Sponsa *Cant.* 1. Filii matris meæ pu-
gnaverunt contra me. Prophetæ ad
unum omnes vix aliud vaticinantur,
dolent, & deplorant, quæm exitium
Terræ Sanctæ. Quod ipsa ob fidei,
morum, animorum dissidia Chaldæis
aliisque infidelibus tradenda sit, adeo-

que omnes Israëlitas hortantur, orant;
obsecrant, & quā vitam corrigendo,
quā orando, quā armis propugnando,
quā in unam fidem & sententiam con-
spirando, tantam Ecclesiæ & Reipu-
blicæ cladem avertant.

Clamat Osee c. 5. Clangite Buccinā
„ in Gabaa, tubā in Rama, Ululate
„ in Bethanem. Et Jeremias c. 6. Con-
„ fortamini filii Benjamin in medio
„ Jerusalem, & in Thecuā: Clangite
„ Buccinā, & super Bethacarem levate
„ vexillum, levate signum in terra:
„ Clangite Buccinā in gentibus, san-
„ ctificate super eam gentes.

Idipsum non solis Judæis, sed &
Christianis insonant: magis enim Chri-
stianis quam Judæis suas scripsere Pro-
phetias: atque Christianis Terra San-
cta magis propria longeque sanctior,
charior, & venerabilior est, per
Christum, B. Virginem, Apostolos,
primitivos fideles, primamque Eccle-
siam, quæ ibi nata adolevit, seque
per totum orbem sparsit, & propaga-
vit. Quid ergo hæremus? quid mo-
ramur? Prophetis obtemperemus,
majores nostros æmulemur, sataga-

mus terram Christi, Christo afferere, prima Ecclesiæ prædia illi restituere: domicilium SS. Triadis, sublati execrandis sacrilegiis, illi reddere, ejusque laudibus, & incruento ac magno Sacrificio Agni Dei, consecrare; qui seipsum, illâ in urbe, Deo, uni, trino, dicata; obtulit in holocaustum suavissimi odoris: non pro nostris tantum, sed etiam pro omnium gentium, pro totius mundi peccatis.

§. III.

Numquam tanta rei benè gerendæ spes affulsa quanta nunc: videtur Deus eam ultiro Christianis offerre, & in manus dare, quando, ut alia taceam, Turcas animis cadere, copiis viribusque minui, internecinis agitari discordiis, pavidos regni sectæque suæ interitum expectare. Christianos verò animosos hiscè omnibus assurgere, erigiique conspicimus: quando Catholicos Principes, oppressa vel suppressa rebellium hæresi dominari, arctoque inter se connubiorum vinculo fœderari, ac universos zelo Re-

ligionis agi, accendiisque, cernimus & gratulamur. Quid enim propè debellata rebellium hæresi supereft? nisi ut ejus reliquias subigant, ac inde ejus sororem, alteram, inquam rebellis infidelitatis speciem, Mahometismum debellent? Ille jam effetus consenescit, & sponte sua ad interitum ruit: peregit suum ipse sæculum, suam vixit ætatem, magnam utique mille annorum quibus stetit viguitque impia Mahometi lex: iisque elapsis occasum olim Mahomet ipse prædixit. Jam ergo decrepitus occasui vicinus est: occidentem & prolabantem impellant dumtaxat, & conjunctis manibus protrudant Christiani; & acta res est, illicò ejus ruinam videbunt, & exultabunt; & sanè eam jam inchoatam conspicimus, dum assiduâ, & vaticiana eorum inter se dissidia, tumultus, & seditiones intuemur. Falli enim nescit, & nequit æternæ veritatis vox: Omne regnum in se divisum desolabitur. Concidunt sese invicem Turcæ, concisos occupent, Christiani. Evigilant ergò sine mora, & tam commodâ occasione utantur. Vetus sapientum

fuit estque omen, Janizerorum potentiam, indomitamque audaciam, Ottomanicum Imperium perdituram. Id jam in procinctu est, ipsi Turcæ dum vident se destitui, Principe eximio, milite selecto, consilio, pecuniâ, concordiâ, animo, viribus, propanam profretur de suo, jam conformatum esse imperio: ipsi Christianis ultrò se offerunt, ac tantum illos non advocant. Tot Christianorum millia miserè sub jugo Turcico gementia, passis manibus, per sacra omnia opem nostram implorant, seque & fortunas omnes offerunt, ut jugum hoc excutiant: hæc ipsa à tam dira tyrannide, & à manicis ad pileum, & libertatem vocata, si dumtaxat eis arma suggestantur, ac Ducem qui Bellum inchoet videant, illicò sequentur, & quidquid poterunt alacres conferent, ut ab immani, quod Turcis pendunt tributo, liberentur. Multi etiam inter Christianos, licet in fide Heterodoxi, tamen quia Principibus suis fideles, & quia Christi professores, libentes præsentem occasionem arripient, & si invitentur, in societatem

Belli ultrò venient: tum ut contra communem Christiani Nominis hostem conspirent: Commune enim periculum concordiâ propulsandum est, ait, Cornelius Tacitus, ejusque jugum, quām longissimè à se amolian- tur, tum ut Christianum Imperium, propugnant, & propagant; tum ut suas ditiones & fortunas ex opimis Turcarum spoliis augeant, & locu- pletent.

§. IV.

CÆterum agitur hic non modò de amplissimo, & ditissimo Ottomanorum Imperio occupando, sed de multorum millium, imò millionum animarum salute æternâ: quæ sanè sine impiâ crudeliâ socordia negligi nequit. Nunc enim magis quam unquam proclive est, ac facile Christianis; ut Turcæ adimant regna omnia, suis majoribus, per summum scelus erecta, ut Ecclesiæ sibiâque restituant, Asiam, Hungariam, Græciam, Macedonia, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epyrum,

Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palestinam, primasque orbis Provincias, à Sanctis Apostolis, Petro & Paulo ad Christum conversas; eorumque & Ecclesiæ prima quasi prædia, & Patrimonium, Ægyptum, Africam, Æthiopiam, totumque Orientem. Quis his dormiet? quis non protinus evigilabit? quis non opes omnes & vires, omne ingenium, & consilium in opus tantum, tantiæ momenti offerat & conferat?

Quod si Persa, aut quis novus Tammaranes, mundi terror Bellicosus, & acer in armis, nobis otiantibus, aut dormientibus regiones illas præoccupet: sanè magno terrori evadet Christianis, eisque utpotè duplo jam potentior, in armis exercitatiōr, tot vietorii insolentior, formidabilius quam Turca imminebit. Ut eum Monarchiam Europæ ambientem ab urbibus tectisque nostris submoveare non valeamus, quem à vicinis arcere, non voluimus. Sanè videtur Deus optimus maximus, claris suæ mentis indiciis ostendere, se velle, ut Bellum hoc Sacrum capessamus: cùm occa-

siones undique tam evidentes, illius felicitate conficiendi, quales à mille annis non dedit, modò suggerit, ultiusque offers: quas si elabi è manibus sinamus, nunquam amplius illæ redibunt. Re-
 rum occasiones tarditatem & igna-
 viam nostram non expectant, ait sapienter Demosthenes Philippo I. sed
 nisi illico præhendantur cum sese ostentant, diffugiunt, & irrevocabiles sunt. Tritum est illud, Fronte capillata est, à tergo Occasio calva. Earum neglectum graviter ulciscetur justus omnium judex, vindictaque Deus: atque illos ipsos dorso nostro dabit in flagellum perpetuum, eò quod ipsi eos subigere noluimus, quos ultro in sinum offerebat. Ita Canaanæis subjecit Judæos, eò quod ipsi illos subigere, & delere; prout jusserrat Dominus, omisissent: ac pacis fœdera cum eis iniissent, uti videre est in totâ Judicum Historia: idque moriens eis prædixerat Josuë Cap. 23. Ut sint, inquit, vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque

„ disperdat de terrâ hac optimâ, quam
„ tradidit vobis.

Ambabus ergo ulnis acceptemus,
& amplectamur præsens hoc tam libe-
rale Dei donum ; utamur occasione
quam nobis in manum dat, subdamus
Mahometanos nobis, ne cogamur eis
colla subdere, eosque habere Domi-
nos, imò tyrannos, & tortores, quos
modò possumus habere subditos, &
suplices: Deo optimo maximo ad id
tam manifestis ostentis, vocanti pa-
reamus; ne in die judicii, tantæ oc-
casionis, totque millium animarum
salutis neglectæ, rigidam à nobis ra-
tionem reposcat, rigidus munerum
suorum æquè ac occasionum, & bo-
norum operum exactor Christus Do-
minus. Si verò paruerimus, Prophe-
tas honorabimus, Prophetarum vo-
tis satisfaciemus, Prophetarum ora-
cula adimplebimus; adeoque Sanctos
Prophetas, Spiritum ipsum Sanctum
qui locutus est per ora Prophetarum,
Christum Dominum omnium Salva-
torem, maximè fidelium: totam San-
ctissimam Triadem, Deiparam, A-
postolos, eorumque fidem, & Reli-

gionem quasi exules, postliminio Terra
ræ Sanctæ restituemus, Angelos Sanctos
miro gaudio afficiemus, Dei
Hominumque gratiam, & Gloriam
Æternam nobis conciliabimus. Amen.

NUMERUS UNDECIMUS.

*Quâ ratione magni acervi pecunia-
rum facile construi possunt, & quis
eorum fidelis dispensator ad ex-
pensas Belli Sacri.*

§. I.

Nec verò Belli nervus pecunia
deesse poterit, si quælibet
urbs, & Provincia vel modi-
cum conferat. Unus Sanctus Ludovi-
cus, olim omnes Belli Sacri expensas,
per plures annos præstítit, nunc eas
non præstabunt universi Principes
Christiani, illo longè ditiores?

Præsertim si Militaris Pragmatica
observetur, ut milites frugales sint,
in victu, vestitu, nec auro, vel cya-
tis, sed ferro, & hastis depugnent,
uti faciunt Turcæ & Tartari. Quin &
hostiles

hostiles Provinciæ, utpotè divites ;
 & vastæ si subigantur, exercitus no-
 stros acent, uti priscorum Romanorum
 aluerunt : Ita anno elapso Asianus
 Bassa copias suas contra Ottomanos
 aluit ex ipsis Provinciarum Ottoma-
 nicarum vectigalibus, & tributis ;
 idque copiose, & splendidè. Ita olim
 Alexander magnus non nisi septuagin-
 ta talentis Bellum orsus, spoliis ho-
 stium, & Gazâ Darii, se & milites
 omnes locupletavit. Idem fecere Ju-
 lius Cæsar, Scipio, Pompeius, Han-
 nibal, Cyrus, Nabuchodonosor ; ac
 nuper Saladinus, Tamerlanes, Ismael
 Sophus, cæterique magni Duces, qui
 hostium opibus suos ditarunt, seque
 vel Asiæ, vel Europæ, vel Orbis Mo-
 narchas effecerunt. Soli ferè Kosaki si
 hæc præda illis offeratur rem feliciter
 à se sæpius tentatam confident, nec
 aliud stipendum depositent. Opes
 Asiæ offeruntur, Spolia Orientis ;
 quis ad manubias tam opimas non ac-
 currat, imò advolet ?

Bessarion Cardinalis, memoriæ pro-
 didit Mahometem, qui duo Imperia,
 duodecim regna, & trecentas urbes.

I

ipsamque Constantinopolim expugnauit, non nisi duos millones annui census habuisse: quis Christianorum Regum non habeat, longè plures? sed una Constantinopolis dedit ei prædam sedecim millionum. Porro facilè erit Pontifici maximo solidum Belli Sacri ærarium in annos aliquot erigere, si à singulis Regibus, & Principibus Christianis accipiat, quod quisque pro re tam piâ, tam utili, tam si bi & toti Reipublicæ Christianæ necessariâ, volens lubensque conferet.

Rex quilibet conferat millionem, Princeps vel Respublica quælibet aliquam millionis portionem, exurget illico ærarium, non tantum sufficiens sed & abundans. Cujus ipsemet omnium fidelium Pater communis erit sapiens & fidelis dispensator, in expensas Sacri Belli: hunc enim tanquam Christi in terris Vicarium, & visibile ac unicum militantis Ecclesiæ caput constituit Dominus ipse, super universam familiam suam, ut det omnibus filiis escam congruentem, in tempore opportuno: certè nemo alius illo ad hanc dispensationem con-

venientior reperiri potest. Omitto ultimeas mercatorum, aliorumque deditum, in tam pium Bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, elemosinas fidelibus, in Jubilæo in hanc rem à Pontifice indicendas; ex quibus multorum millionum summa conflabitur: si quilibet ditorum, vel aureum conferat. Ex tot deditum per totum orbem millionibus, quot aureorum millions consurgent? taceo dispensationum, privilegiorum, peccatorum, aliorumque multas, quæ piè ad tam pium opus exigi queunt & applicari.

§. II.

Sanè Innocentius III. Pontifex quadragesimam redditum partem Clericis omnibus in usum Belli Sacri in dixit, Regi verò Galliæ, & Regi Angliæ ita scribit, *Lib. 2. Epist.*
 „ 239. Tu ipse ad defensionem Terræ
 „ Sanctæ competentem in expensis
 „ tuis dirigas, numerum bellatorum,
 „ quasi decimas saltem Christo
 „ persolvens, ita quod ex hoc divi-

I 2

„ nam gratiam possis plenius ; prome-
„ reri. Idem Pontifex rursum Cleri-
cis per triennium , vigesimam reddi-
tuum partem in eundem finem , sub
pœnâ excommunicationis , indixit:
euntibus verò ad Bellum Sacrum ,
tributa , quin & usuras creditoribus de-
bitas relaxavit , ac generalem inter
Christianos toto orbe pacem per qua-
driennium servandam , sub pœnâ Ana-
thematis sanxit. **Paulus III.** Carolo
V. in Africam contra Saracenos castra
moventi , decimas omnium in Hispania
beneficiorum attribuit. **Pius V.** Pontificios reditus omnes , in usum
Belli Sacri similiumque piorum ope-
rum contulit , ideoque illustrem illam
de Turcis apud Naupactum victoriam
retulit. Ergo summi Ecclesiæ Pastoris
judicio , & Patris communis sapienti
distributioni acquiescant fideles filii.
Sic sæculo elapso **Alexander VI.** Pon-
tifex , Indiarum limites divisit , pro-
priosque statuit Hispanis , & Lusita-
nis : hinc utrorumque mira in his
concordia. Hæc ergo Sedes Apostoli-
ca , Sacræ hujus expeditionis , uti
alijs semperfuit , ita & nunc erit arbiter ,

& Judex, imò Choragus Director,
& Moderator. Hæc Sancta Sedes cui-
que suas operas, & Provincias partie-
tur. Hæc Spolia & Lucra dividet.
Hæc lites omnes judicabit, & com-
ponet. Hæc novos Principes & Re-
ges, si opus sit, in Provinciis & Re-
gnis Bello acquisitis instruet, & crea-
bit. Hæc ratio ad commune Ecclesiæ
negotium conficiendum, uti maximè
opportuna & accommoda, ita hoc
fine à Deo provisa est & donata.

Denique obvia est concordiæ ra-
tio, si quisque seorsim loco sibi com-
modo communem hostem invadat, &
quidquid ei adimit, jure Belli, tam ju-
sti, ipso facto occupet, sibiique vindicet.
Achilles Tarduccius libello quod
Turca vincibilis, demonstrat Tur-
cam à solis Hungaris vinci posse,
quinquaginta Christianorum milli-
bus in aciem productis. Suffragatur
Anonymus illi additus, de statu Im-
perii Turcici, qui per calculum A-
rithmeticum ostendit Bellum contra
Turcam geri conficique posse quot
annis quatuor auri millionibus, exer-
citu verò quadraginta millionum pedi-

tum, & bis mille equitum, addita ei
classe centum triremium.

Rursum Fœdus Christianorum
Principum, à Leone X. Pont. contra
Selymum sanctum, ac Provincias
cuique ad invadendum, occupan-
dumque attributas, recenset Frideri-
cus Guicciardinus, & ex eo Lazarus
Sorantinus in Ottomanno, c. 118.
qui addit Leonem decrevisse ante om-
nia vim auri maximam congerendam,
tum exordinariis Principum Christia-
norum oblationibus, tum etiam ut
singulis Christianis certum aliquod
tributum hujus Belli nomine impera-
retur.



NUMERUS DUODECIMUS.

Sicut dissensio Principum Christianorum, fuit huc usque Imperii Turcici firmamentum: sic stabilito nunc fædere inter potentissimos Reges, de felici Belli Sacri exitu, optimè sperandum; si omnes piissimos Innocentii XI. conatus promovere satagant.

§. I.

Certissimum est, ut tristissimâ, tot sæculorum experientiâ, nimis constat, omnem in debellando huc usque Turcâ difficultatem, ortam ex divisione, & dissensione Principum Christianorum. Adeoque Reipublicæ Christianæ languorem, tum prodiisse, & se prodidisse, cum Monarchia transiit in Polyarchiam: sicut ex adverso Turcarum robur emicuit; cum Polyarchiam Ottomannus in Monarchiam transtulit. Quocirca magnus Turcarum Imperator,

I 4

cum sit Monarcha singulis Regibus potentior, à Christianis non potest vinci, nisi ad Monarchiam redeant; & Monarchiæ infideli, Monarchiam fidelem opponant. Quis porro ad hanc, inter Principes Catholicos unitatem stabiliendam, conservandam, & consummandam, magis idoneus, in terris, quam Pater communis omnium Christianorum! unicum militantis Ecclesiæ Caput: summus Christi in terris Vicarius. Cui propterea, omnes fideles, jure divino caput inclinare debere, dubium non est. Quin etiam summi Principes & Reges Christiani, ejus pedes osculantur in illius Persona Christum ipsum, Regem Regum venerantes. Bessarion Cardinalis, vir magnæ prudentiæ asserebat, Turcam „ similem esse lupo, qui cum sit pili „ concoloris, canes pilo discordes, vel „ infinitos non metueret: paucis ve- „ rò unius pili conspectis, fugam ador- „ naret. Ita prorsus Christianos Principes licet plurimos, & potentissimos, si discordes sint non metuit: sed ridet Turca: paucos verò si concordes sint, reformidat, & fugit. Quin & Soly-

manus ipse Caroli V. æmulus & antagonista, ut Ferdinando Imperatore Caroli fratre se potentiores ostenderet, ejus Legato insultans dixit, se
 „ esse draconem unius capitum, sed
 „ multarum caudarum; Ferdinandum
 „ verò, & Christianos esse draconem
 „ multorum capitum, sed unius cau-
 „ dæ. Quasi diceret Christianorum
 Imperium est Polyarchicum, ideo-
 que discors, & imbecille, meum ve-
 rò est Monarchicum, ideoque con-
 cors & validum. Igitur in hoc Bello;
 voluntariè, se ipsos, suaque Deo
 uni trino Sacrificantes: uniant se
 Principes Christiani uti fecerunt eo-
 rum majores Romano Pontifici: at-
 que istâ ratione, Monarchiam Chri-
 stianam contra Mahometanam tyran-
 nidem redintegrabunt: eamque Tur-
 cicâ longè validiorem constituent,
 ac mari, atque terrâ Turcam inva-
 dent, quod omnino faciendum cen-
 suit Carolus V. At ne quis fidelis vel
 Hæreticus ditiones Principum, eo
 tempore quo Bellum Sacrum capes-
 sunt, quovis titulo invaderet, Euge-
 nius III. cavit sub pœna Anathematis:

idem cavit Innocentius III. quem paulò ante citavi: caveant id ipsum Principes Christiani fœderati: fœderis enim prima conditio hæc est, ut si quis unum invadat, cæteri omnes eum quasi publicum Regis Regum Christi Jesu, & Christianæ Reipublicæ hostem communem, & proditorem nefarium persequantur. Det Deus, unus, trinus, ut omnes Reges, Principes, & populi Christiani, in uno spiritu, ad pristinam primum fidelium, quorum erat cor unum & anima una, Sanctam unionem, & Christianam Monarchiam ab uno mediatore Dei & hominum sanctitatem, hoc Apostolico & universali Jubilæo revertantur.

Quapropter, nunc de felici Belli Sacri exitu vix dubitandum, præser-tim si uti Moysè orante, Josuë vincebat Amalec, ita & nos cum Machabæis, Numinis opem, precibus, jeju-niis, Sanctâ vitâ, dignis pœnitentiæ fructibus, bonisque operibus; assi-duè nobis conciliare satagamus: qua-rum rerum hoc Jubilæum illicium est, imò inchoatio, & præludium. Sanè

hisce annis plures viri Religiosi, Sanctitatis, & Prophetiae opinione celebres, prædixerunt certò instare ruinam Turcici Imperii: ac Christianos brevi potituros Terrâ Sanctâ.

§. II.

Fac sit Deus, ut omnes & singuli Christiani, maximè verò Principes, tanquam membra mystica illustriora, unico totius Corporis Christi Capiti visibili, sic in hoc Sacro Bello adhæreant; sicut decet bonos filios, optimo Patri, in omnibus se conjungere: nullisque privatis dissidiis, commodis, aut in commodis sejungi se se aut divelli à quolibet patiantur! Certè in confessio est apud omnes, illum quem modò singulari suâ providentiâ Trinitas Divina, toti Ecclesiæ suæ, summum Pastorem dedit, & incomitum servat, rem Christianam, & Bellum Sacrum, contra communem hostem Christianorum, & inimicum Crucis Christi, modis omnibus promovere: paterna ejus pie-

„ tas; & charitas erga omnes, ardens
„ ipsius zelus pro fidei, & Religio-
„ nis propagatione; sollicitudo om-
„ nium Ecclesiarum; instantia quo-
„ tidiana, pro Ecclesiasticis legibus;
„ morum integritas, & totius vitæ
„ sanctimonia; in quem nulla cadit
„ fraudis suspicio; præclarissima agen-
„ di ratio, ab omni cupiditate aliena,
„ carni & sanguini omnino contraria:
„ istæ omnes eximiæ virtutes, illum-
„ omni veneratione dignissimum red-
„ dunt; atque ut uno verbo plurima
„ quæ reticeo exprimam: Vir est secu-
„ dum cor Dei: Verè Pater communis
„ Christianorum, quos omnes univer-
„ sali charitate complectitur: omnibus
„ paternæ dilectionis testimonia exhi-
„ bens: & ut fidelis dispensator, ocu-
„ latâ dextrâ, Thesauros Ecclesiæ filiis
„ remotissimis, & pro Religione Catho-
„ licâ præliantibus, dividens, sicut ad-
„ jutor magnificus, in opportunitati-
„ bus; sibi in nullo parcens, ut omnibus
„ indulgeat & præsto adsit. Certè, ex
„ tanto Pontifice virtutum omnium
„ exempla peti posse non negant vel
„ ipsi Apostolicæ Sedis inimici, quem si

„ non diligunt, ut unicum universalis
 „ Ecclesiæ visibile Caput, illum suspi-
 „ ciunt, & tam verè quam honorificè,
 „ uno ore collaudant. De hoc Pontifi-
 „ ce, dici potest quod de Innocentio
 „ VIII. affirmabat Angelus Politianus:
 „ Videtur mihi Innocentius Pontifex
 „ maximus; via quadam Regia ad im-
 „ mortalem gloriam contendere. Imò
 „ id quod de Innocétio asserebat San-
 „ctus Augustinus *Epist. 92.* Deus Inno-
 „ centium gratiæ suæ præcipuo mune-
 „ re, in Sede Apostolicâ collocavit.
 „ Plura de tam vigilanti, tam probo,
 „ & tam bono totius Dominici gregis
 „ Pastore, vero Beati Petri successore,
 „ & JESU-CHRISTI Vicario, poste-
 „ ritati tradent Annales Ecclesiastici?
 Cui vitam in plures annos produci, ad
 majorem Sanctissimæ Trinitatis glo-
 riæ, & novam venerationem, per
 triplicem Missæ Eucharisticæ oblatio-
 nem, sicut in Natali Domini, ubique
 stabiliendum desiderio desiderant: & à
 Deo, uno, trino, hanc illi voluntatem
 inspirari, enixè postulant, fideles Ro-
 manæ Ecclesiæ filii. Amen.

O Sanctissima Trinitas unus Deus;

tu es Dominus universorum, in cuius
manibus sūt Christi in terris summi Vi-
carii, omnium Ecclesiæ Principum, &
Regum Christianorum corda, emitte
ex alto, per Divinam Dei-Hominis,
nobiscum in Altari residentis Eucha-
ristiam, Christianæ charitatis, & uni-
tatis Sacro-Sanctum Symbolum: E-
mitte, inquam, de sinu tuo Spiritum
Sanctum tuum, Spiritum Sapientiæ,
& intellectus, Spiritum consilii & pie-
tatis, timoris tui, & divinæ charita-
tis, veritatis, & unitatis, atque
concordiæ & obedientiæ; ut omnes
omnino fideles & Principes Christia-
ni, in uno Baptismate renati, unico
pane supersubstantiali vivificati, in
unâ Ecclesiâ Christianâ, Catholicâ,
Apostolicâ, Romanâ, unico visibili,
omnium fidelium Capiti, in unâ ea-
demque fide adhærentes, sicut mem-
bra de membro, unum Christi Cor-
pus mysticum constituentia: in uno
spiritu universalis dilectionis, haben-
tes cor unum & animam unam sicut
primi Christiani: omnibus modis
conentur, & magis satagant everte-
re Imperium tyrannicum summi, & sæ-

vissimi Crucis Christi inimici ; ut tuum nomen Sanctum , tuam gloriam , Trinitatem tuam , in unitate Divinitatis agnoscant , adorent , & celebrent omnes gentes : & omnis terra confiteatur Nomi n tuo sancto : teque Deum , unum , trinum , Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum , omnis lingua confiteatur , & super omnia exaltet. Dilexisti ô Trinitas Divina , portas Sion super omnia tabernacula Jacob ! ut quid ergo Deus exercitum ; venerunt gentes in haereditatem tuam , polluerunt nomen Sanctum tuum ? Ecce terra illa Sancta , terra promissionis tuæ , in quâ te laudaverunt patres nostri , tradita est alienigenis , qui assiduè sacrilego ore blasphemant Nomen tuum , & Christi tui. Locus ille in quo Deus-Homo , Verbum Incarnatum , unigenitus Dei Filius , Emmanuel nobiscum Deus , conversatus cum hominibus , operatus est salutem in medio terræ : nunc possidetur ab Antichristianis. Exurge Domine , vindica probrum tuum ; exulta in Christianis , Machabæos , qui gentes conterant & convertant , qui

tibi tuam gloriam, Christo J e s u pa-
trimonium, proprio ejus Sanguine
acquisitum, Ecclesiæ militanti suum
regnum, Terræ Sanctæavitam fi-
dem, & sanctitatem asserant, ac post-
liminiò restituant.

§. III.

TU ipse es ô Deus exercituum :
qui excitaſti nuper, ante Vien-
nam Austriæ, invictissimum Polo-
niæ Regem, Joannem III. Qui toto
orbe Christiano trepidante, tantâ
fortitudine, & felicitate, paucis, sed
selectis copiis, usque ad ducenta bel-
latorum millia aggressus est : ut cum
flore nobilitatis Polonæ, & Germa-
norum Procerum, omnes Turcarum
vires, non solum invictissimè susti-
nuerit, verùm etiam attriverit, fre-
gerit, profligaverit. Urbem obsiden-
tibus ditioni proximam, & cum illâ
periclitantem Christianitatem, pri-
stinæ libertati reddiderit, siquidem
protinus ut venit, & vidit; Christo
auxiliatore vicit, omnium fidelium
gratulatione & exultatione; Rex ille
piissimus

piissimus æquè ac fortissimus, Turcas
rum terror & Domitor: dignus omni-
nò, immortali gloriâ, apud Deum &
apud homines. Quippe qui Personam
suam omnibus carissimam, vitam, &
Regiæ Domus claritatem, pro gloriâ
Crucis, pro conservatione Orbis Chri-
stiani, & pro omnium salute litavit,
summiq[ue] in terris Christi Vicarii, sa-
cris sollicitudinibus dedicavit, conse-
cravitq[ue].

Quam ob rem, grati animi ergo
commune hoc esse debet fidelium om-
nium votum: ut Rex Regum Chri-
stus, cui data est omnis potestas in
Cœlo & in terra: tam Christiani, tam
Pii, tam magnanimi Regis consilia,
conatus, certamina, novis Benedi-
ctionibus, auxiliis, & victoriis, sic
cumulet, ut gaudium fidelium sit
plenum: Revera Christianis Regi-
bus ipse unus Deo auspice viam præ-
buit stravitq[ue], ac pariter ostendit,
quam facile, ille communis Ecclesiæ
hostis, cunctis formidolofus, subigi,
imò funditus deleri & extingui possit,
si Christiani Principes junctis armis,
malint bellum in ipsum capescere,

K

quām privatarum rerum respectu, communibus incendiis flagrare. Igitur communibus viribus eum impetant, diversis copiis & locis eum invadant: ut non modō eum procul à suis finibus arceant, sed & planè profligent, extirpent, & exterminent: Hoc Deo auxiliante facile fiet, si concordibus studiis, in communī periculo, quod quisque potest præsidii, in medium conferat. Sic res Christiana, invicta, integra, tranquilla, perfecta, & sub uno totius Ecclesiæ, Capite visibili, summo Pastore, Christi in terris Vicario, Beati Petri successore, omnium controversiarum, quæ ad fidem, mores, Sacramenta, & universale bonum totius Ecclesiæ militantis, spectant, Judice, ac moderatore, bene ordinata permanebit, ad finem, ab omnium hominum Salvatore intentum: idest ad illuminationem gentium, ad sanctificationem fidelium, & ad salutem prædestinatōrum, ad vitam æternam in Christo Iesu Domino nostro ad hunc finem à Deo trino optimo obtinendum, ordinaria media sunt.

ordinatissima & efficacissima, dum-
modò illis ut bonos Christianos decet
bene utamur, videlicet morum refor-
matio secundùm Evangelium Christi,
perseverans, humilis, & communis fi-
delium, charitatis vinculo unitorum,
inter se se oratio, & bonorum ope-
rum multiplicatio; potissimum ve-
rò quotidiana Sacrificii Eucharistici
oblatio; sancta ac frequens Commu-
nio. De quo tertio medio, haec memo-
randa sunt.

NUMERUS XIII.

*Ut Deus exercituum, per Divinam
Eucharistiam omnium victricem,
extendat potentiam Brachii sui,
effundens iram suam in hostes fi-
dei: tollantur scandala è Templis di-
catis Sanctissimae Trinitati, & è ca-
stris fidelium.*

§. I.

 I per totum orbem Christia-
num, Divina Eucharistia, eâ,
quàm tanta Majestas in illa sub-
stantialiter residens, meritò ab omni-

K 2

bus exigit, reverentiâ & devotione adoraretur à fidelibus: & à Sacerdotibus immolaretur: brevissimo tempore, inimici Religionis nostræ debellarentur, & ad Orthodoxam fidem, Christianorum pietate universali, converterentur. Verùm nimis frequenter accidit, ut per corruptos malorū Christianorum mores, effrænatam vivendi in castris libidinem; scandala & sacrilegia, quæ in Templis ipsis videmus; nomen Sanctissimæ Triadis & **J E S U-CHRISTI** blasphemetur inter gentes. Enimverò si Turca, vel Judæus aut Paganus aut ex infidelium & Hæreticorum sectis aliqui, assistant Divinissimo Ecclesiæ militantis Sacrificio, quando est magna multitudo populorum, quid cogitabunt? quæ erunt animorum illorum sensa? quid dicent? aut potius, quid non dicent: videndo tot indigna in medio Sanctuarii. Nonne in suis erroribus obfirmato animo permanebunt, & Religioni nostræ maledicent maledictione pessimâ? nonne eò illos impellunt suâ irreverentiâ & impietate omnes illi, qui fidem quam verbis astruunt, factis pessimis,

criminibus & scandalis destruunt! nonne per illos nomen Dei blasphematur inter gentes, quæ irrident & contemnunt Sacro-Sancta Ecclesiæ Catholicae Mysteria?

Hi sunt de quibus dicit Apostolus, quod ipsis infidelibus deteriores sunt: Etenim Domum Dei vivi, Domum orationis, Templum cultui Augustissimæ Trinitatis consecratum, & Sanctuarium Altissimi, convertunt in speluncam latronum: ubi non viles pecunias, sed corpora ipsa quæ membra sunt Christi, & animas ipsas fidelium, in Sanguine Dei-Hominis renatas, ab Altari Dei vivi avulsas, per summum scelus, Asmodæo Demoni impudico sacrificant. Hæc est una ex abominationibus desolationis Ecclesiæ Dei vivi: ecce idolum voluptatis in Sanctuario Sanctissimæ Triadis quid turpius! quid Divinæ Majestatis ignominiosius! qui hæc legit intelligat: nonne una hæc est ex universalioribus causis, cur justo irati Numinis judicio, tot urbes Christianorum cadant in potestatem Turcorum? & tot Tempa Divino cultui dicata, in sacrilegas &

K 3

infames Mahometanorum ædes con-
versas, videmus, lugemus, & abo-
minamur.

Proh dolor! ubi adorabatur Deus,
unus, trinus, ibi adoratur Diabolus,
cum Angelis ejus! ubi Sanctissimum
Missæ Sacrificium, Agni Dei Imma-
culati, quotidie Augustissimæ Trini-
tati offerebatur; ibi omnes abomina-
tiones gentium, die noctuque exerce-
tur, in opprobrium Nominis, Cru-
cis, & Eucharistiaæ Corporis, & San-
guinis Christi J e s u. Hanc Dei iram
in orbem Christianum accendunt,
qui ejus Templa violent, mox à Deo
ultore ipsimet disperdendi. Exurge
Deus exercitum omnipotentissime,
ulciscere tot sacrilegia Christianæ Re-
ligioni ignominiosa, disperde im-
pios, expelle è regno tuo sævissi-
mos Nominis tui hostes: contère ini-
mi cos tuæ Ecclesiæ, quam acquisivi-
sti sanguine proprio: fac novam po-
tentiam in brachio tuo, renova mira-
cula tua per Sacramentum omnium
mirabilium tuorum maximum, ut
sciant gentes, quia tu solus es Deus:
da gloriam novam tuo Sancto Nomi

per hoc admirabile Sacramentum :
quod est Mysterium fidei, novum opus
omnipotentis brachii tui, & totius
mundi victoria, ac triumphus inferni.

NUMERUS XIV.

*Mirabiles victoriae, virtute Eucha-
ristie, omnium Dei mirabilium
maximi, per Christianos Principes
de fidei inimicis reportatae.*

§. I.

Antiqui Gentiles, solem hunc
visibilem, certaminibus præ-
sidere crediderunt: tanquam
ducem exercituum. Ideò Persarum
Reges, cùm ad Bellum procedebant,
solis imaginem, globo crystallino in-
clusam in medio castrorum, in subli-
me elatum, omnium oculis exhibe-
bant, ut ab omnibus invocaretur ad
felicem Belli exitum; sed nulla socie-
tas fidelibus cum infidelibus. Sciunt
Christiani solem justitiae, non aliud
esse, quam JESUM-CHRISTUM;
& omnes Catholici, solem hunc my-

K 4

sticum, in Sacramento Altaris absconditum, non mysticè solum, aut in figura tantum; sed verè, realiter, & substantialiter contentum, & existentem, eundem solem justitiae JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum adorant; & qui majori fide, ac pietate ardent, majori cum fiducia, & dilectione illi adharent: & illo se armant ac muniunt contra omnes corporum, & animarum, atque totius Ecclesiæ militantis inimicos. Divina enim Eucharistia est omnium victoria, semper est invictus qui per Eucharisticam Communionem arctissime Christo est vincitus. Nimirum Verbum Divinum, in hoc mirabili Sacramento sedem suam fixit, sicut caput & Dux totius Ecclesiæ suæ militantis: ibi est velatus accidentibus, ut Imperator in suo militari tentorio, velut arca viva novi foederis contra hostes deportanda: ibi est ut Angelus Domini dominantium, in columna ignis, qui gradiebatur ante populum electum, quem ducebat in terram promissionis. Sic Christus victor omnium per Eucharistiam, in illa per-

manebit nobiscum, usque ad finem mundi, ut semper vincat in nobis, per nos & nobiscum, qui semel in Cruce moriens triumphavit pro omnibus nobis. Ex plurimis mirabilibus victoriis, quæ huic mirabili Sacramento tribui debent, paucas hic refero, ex Annali- bus Ecclesiasticis depromptas.

Constans Imperator, Filius Constantini magni, Sacramentum Eucharistiæ, in medio exercitus sui collocatum, adorari ab omnibus præcepit; & omnes Duces suos & milites hortatus est, verbo & exemplo, ut ante pugnam, contra Magnentium, Sacro illo cibo se reficerent. Quo peracto panis ille cœlestis, supersubstan- tialis, Divinus Dei-Hominis omnipot- entis, novi nostri Gedeonis gladius; ingenti hostium cæde factâ, tyranni copias numerosas, funditus profliga- vit, modico suorum damno. Catala- cus à Michaële Imperatore toti exer- citui Christianorum præfectus, Sar- cenis, Mumertinam, seu Messianam in Sicilia oppugnantibus, antequam impressionem faceret in hostes, sese cum suis Sacro illo Viatico munire

voluit, quo omnes armati, & ad certamen, sicut leones intrepidi animati, Deus exercituum in illis manens, tantâ trepidatione hostilia castra concussit, ut obsidione urbis solutâ, cæsi fugatiq; sint inimici, & semper victricis Eucharistia fortitudine penitus contriti.

Robertus inter Galliæ Reges pietate, & fide in Eucharistiam, Illustrissimus: Melodunum urbem rebellem, propè Parisios obsidebat; cuius mœnia illicò corruerunt, dum ipse Sacro Missæ Sacrificio, cum suis adeset: quo miraculo Deus exercituum in Sacramento Altaris absconditus, etiam incredulis certum & perspectum esse voluit: Vim Eucharisticam, omnibus bellicis tormentis & machinis fortiorē, nullamque esse arcem inexpugnabilem Belli Sacri ducibus: qui non in suis armis, sed in hoc exinanitæ Majestatis mysterio confidunt & gloriantur. Godefridus Bullionii Dux, priusquam Hierosolymam ultimâ impressione copiarum factâ occuparet, voluit totum exercitum Christianorum, hoc cibo fortium roborari,

optatum habuit exitum tam Christiani Ducis pietas ad omnia utilis: urbem triumphator ingressus est, & ipsum Regem Regum, in Regiam suam, non super militum humeros, sed in suo, & suorum omnium corde, & pectore introduxit. Quo triumphi genere, nullum potest esse, nec excogitari glorioius, & mirabilius. Alphonsus Rex Castiliæ anno millesimo ducentesimo, quinquagesimo secundo usque ad ducenta Saracenorū millia profligavit, desideratis solum viginti quinque ex suis militibus. Nimirum Panis ille vivus, & vitalis, vitam dans homini, contra omnia mortis tela; sic milites Christi obarmarat, ut nulli essent vulneri lætali obnoxii; & ipsius mortis victores, per Eucharistiam, immortalitatis alimoniam effecti sunt.

Carolus Martellus eodem admirabili Sacramento armatus, animatus, accensus, & totus æstuans ac inflamatus, sicut fulmen, cum paucis, sed selectis copiis eodem igne incensis, Abderamum cum trecentis Saracenorū millibus, Cæsarodunum obsi-

dentem ; instructa acie ad pugnam provocatum , tanto impetu aggressus est , ut plenam de hostibus victoriam consecutus , eum tota Galliâ fugaverit , expulerit ; sicque Christianissimum Regnum à fævissimo Christiani Nominis hoste liberatum est , semper vincente in suis adoratoribus Divinâ Eucharistiâ , triumphatrice omnium inimicorum Sanctissimæ Triadis , & Dei-Hominis JESU-CHRISTI , & totius Ecclesiæ militantis.

NUMERUS XV.

Sanctus Henricus Imperator , virtute Eucharistica semper victor.

§. I.

Placet ne ad majorem gloriam Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti , & ad laudem Romani Imperii Catholici ; innumeras toto orbe Christiano sparsas , ejusdem Eucharistiæ victorias , quasi in unum cumulum colligere , coacervare , & congregare ? Inter omnes Imperatores

Catholicos & Christianissimos, nullus est Sancto Henrico, Sanctæ Cunegundis Virginis, Virginico sponso, vitæ & morum innocentia, fidei firmitate, & singulari erga Divinum Eucharistiae Sacramentum pietate, illustrior. Nullus in Bellis moyendis justior, quippe qui semper contra hostes Nominis Christiani, aut Sedis Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ inimicos, Crucis signum levavit. Ideoque nullus in certaminibus illo feliior, cum quo Angeli Dei ante ejus acies præliabantur. Qui ejus præclara gesta descripserunt, tot triumphos numerant, quot prælia. Audeo dicere, ipsamet victoria, militare se gloriabatur sub vexillis Henrici, verè magni bellicis virtutibus, majoris fidei, & Religionis Romanæ propagandæ zelo; maximi adoratoris Sanctissimæ Trinitatis in spiritu & veritate, ac totius vitæ sanctimoniam mirabili, & Eucharistica pietate, atque ardenti charitate in Christum, hoc in Sacramento Altari absconditum, ut omnium corda trahat ad seipsum; semperque vincat in suis, & per suos, usque ad

consummationem sæculi.

Enimvero summus Sacerdos, & Rex Regum Christus Dominus, sicut per Prophetas, & Apostolos, verbi sui præcones, gentes ad fidem attraxit; ita per arma viætricia potentissimi, & Sanctissimi hujus Imperatoris, innumeros sui Nominis inimicos non modò contrivit, sed etiam convertere voluit. Et sanè decet omnino illos, quos Divina bonitas supra omnes exaltavit sublimitate dignitatis, omnibus prælucere virtutibus Regiis & exemplis.

Porro habent omnes Reges, & Principes Christiani, quod mirentur, & imitentur in hoc uno Imperatore Henrico secundo. Hic ex Duce Bavariæ à Benedicto VIII. quem à Sede Pontificiâ deturbatum reposuerat, Romanorum Imperator est Coronatus. Summæ illius virtuti, debebatur summa Christiani Orbis, post summum Pontificatum Dignitas. Ter in Italiam trajecit: bis coronatus, semper viatoriosus rediit. In Græcos, & Saracenos, impetu facto, eos totâ Apuliâ ejecit; Heneti abjurata Relis-

gione, Imperii jugo excusso, ejus armis debellati sunt: nec Bohemi, nec Poloni, fortitudinem Bellicam Henrici ignoraverunt. Boleslaus Bohemiae alterum, alterum Poloniæ Reges, vi ad officium coegit, quos fulgore gladii debellatos, splendore fidei illustravit; quibus tertium addidit, Stephanum videlicet Hungariæ Regem, cui lumen Christi infudit. Bethleemiticum Sydus ex Oriente natum dices; non fallor, nisi fortè, quod in Occidente nova hæc stella fulgeat antiquâ clarius. Quot enim illa Magos totidem Henricus, magnos Reges, ad Trinitatis Divinæ cognitionem, ad Christi venerationem, ad Dei-Hominis fidem, adorationem, & dilectionem adduxit, pietas Eucharistica ad omnia utilis, animi magnitudini conjuncta; ei omnia Bella, bellè felicitavit. Non absunt victoriæ ubi adest Deus exercituum, imò & ipsum Cœlum ei confederavit. Pugnare pro illo visus est Divus Laurentius, ne defensent flammæ ad calorem prælii Domini, nec laurus ad victoriam. Cùm Divi Adriani acinacem in Bellis gere-

ret ; ipse Adrianus præsentem manum obtulit , ut qui gladium ad vincendum concesserat , etiam consortium ad præliandum præstaret , quin & Sanctus Gregorius magnus , magno & Sancto Imperatori ad majorem triumphi gloriam militavit : quippe qui nunquam suam , sed Dei solius , pro quo omnia Bella gerebat , summum in omnibus honorem , unicè exoptaret & quæreret .

*Onimium dilecte Deo , cui militat ater ,
Et conjurati veniunt in prælia Sancti .*

Diximus visum quandoque esse Angelum Domini , (nonne Michaëlem , Romanæ Ecclesiæ , Romani Imperii , & Romanorum Imperatorum , Romani Pontificis potestatem venerantium Protectorem ,) ejus copias antecedere , ducere , animare , impellere configere . Revera poterat ante prælia triumphos canere , qui communem cum Deo causam , communis milite susceperebat , qui nunquam procedebat ad arma , nisi & armatas process in aciem præmisisset , & Eucharisticum panem omnis victoriæ arcum sumpisset , in cuius fortitudine Elias

Evan-

ma-
vin-
for-
quin
gno
rem
ppè
pro
n in
aret
er;
i.
esse
aë-
ani
to-
em
co-
m-
in-
m-
ni
o-
re-
ri-
m
as
n-

Evangelicus, per ardua, & difficilli-
ma omnia, eniteretur. Henricus Pius,
Sanctus, ut Sanctorum consortio re-
crearetur in pace, quorum auxilio
fulciebatur in Bellis, vel novas Basili-
cas Cæsareis impensis erexit, vel ob-
soletum à veteribus senium abstersit.
Bambergensia saxa adhuc loquuntur
Henrici magnifici in sanctitate muni-
ficam largitatem ac liberalitatem, quo
in loco pietatis igniculos, suis cineri-
bus fovet: Bambergæ Comitatum in
Episcopatum convertit; & pauperem
Christum amplissimo patrimonio dita-
vit; ipsum sui Imperii pomum, quod
à Benedicto Papâ acceperat; ut erat
auro, & gemmis preciosum, divo Be-
nedito ad Cluniacense coenobium
„ dedicavit. Nihil perditur, quod
„ offertur Superis, His multa si dede-
„ ris, plura recipies. Nactus occasio-
nem beneficiendi Benedictus, Henri-
cum in monte Cassino à calculi dolo-
ribus curat: dormiens Imperator visus
sibi est, se Benedictum videre, & cal-
culum in manus accipere, quem ex-
cuso somno, verè in manibus suis re-
perit. Nunquid jam certus esse pote-

L

rat futuræ felicitatis, cui de Cœlo cal-
culus datus fuit? sed sapiens, Chri-
stianissimus, & Sanctus Imperator,
malebat Beatitatem bonis operibus
mereri, quād dormiens accipere.
Exuisset Imperatoriam Clamidem, ut
sub Religioso habitu, securius latēret,
& Christi humilitatem, paupertatem
ac obedientiam perfectius imitaretur,
nisi prudentis, & sancti Viri confilio;
tantus sol, lumen ad exempla, & ad
illuminationem gentium, circumtu-
lisset.

Tot factis magnanimis, toto orbe
notus Henricus, tot Bellis perfunctus,
tot victoriis glriosus, tot negotiis
Reipublicæ Christianæ implicatus,
miraculum inter homines visus est,
quod simul ad eximiam Sanctitatem
evaserit; majoris intelligentiæ in mo-
rem, Imperii molem tranquillus mo-
vebat. Semper suus, semper alienus,
semper negotiosus, semper quietus,
etiam cùm foris degeret, semper do-
mi suorum intentus saluti, suæ vitæ
prodigus, quia de pietate Eucharisti-
ca, quæ præbet delicias Regibus,
omnem spiritualem dulcedinem in

proprio fonte gustabat, & ad omnem virtutem roborabatur. Imperator Angelus naturæ monstrum est mundi amatoribus, qui non sapiunt quæ Dei sunt; at magnis mentibus, Verbi generatore Patre Virgine, & Incarnati per Spiritum Sanctum, de Matre semper Virgine prodigium est victricis gratiæ Christi, in Eucharistiâ absconditi, Regis Regum, & Sponsi Virginum; magni hujus consilii Angeli, Angelorum Domini, & glorificatoris. Hujus igitur amore accensus Henricus, conjugium novo exemplo perpetuâ virginitate honestavit: vixit lilyum inter spinas illæsum, paris virtutis consortem, nactus Sanctam Cunegundem Virginem. Nullæ Herculem nostrum deliciæ, nulla Samsonem Bavaram Dalila; nulli Salomonem novum. Non casti amores corruerunt, imò ne leviter quidem attigerunt: vixit in thalamo Imperiali, Virgo cum virginе, ambo Angelis Dei æquales puritate, superiores virtute; illi enim sine carne vivunt, hi de carne, in carne triumpharunt. Quàm gloriosum est, quàm cœleste, quàm divinum hoc

L. 2

Regale, & Imperiale conjugium: nem-
pè, mentium, cordium, & animo-
rum, quod supra omnem naturæ or-
dinem esse omnes agnoscunt; quod
purissimi Spiritus mirantur, & vene-
rantur: in quo tres Divinæ Personæ
Æternæ Virgines & Virginitatem in-
spirantes sibi complacent, & glorian-
tut. Verè ergo hoc Angelicum con-
jugium est, gratiæ Christi prodigium;
Regis gloriæ Diadema, Ecclesiæ Dei
vivi præcellens ornamentum: Divini-
tatis JESU-CHRISTI testimonium,
& Sacramenti Eucharistici perpetuum
trophæum; cuius solus Deus est au-
ctor, consummator, pignus, & re-
munerator.

Tantis laboribus exanthlatis, tantis
periculis superatis, tantis præliis cum
fidei hostibus commissis, tantis victo-
riis reportatis: ac summis meritis,
abundè cumulatus Henricus, è ca-
stris militantis Ecclesiæ evocatur, ad
triumphantem; beatæ immortalitatis
coronam accepturus de manu supremi
Agonothetæ, Summi Imperatoris sui
JESU-CHRISTI; pro cuius Nomini
gloriâ, totum orbem factis magna-

nimis impleverat ; & cui uni opes, sceptrum, gladium, corpus, animum, & se totum usque ad ultimum vitæ spiritum dicavit, consecravitque. Verè fuit Henricus Imperator ter magnus, 1. Sceptro æquitatis, 2. Zelo Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, unicæ Ecclesiæ Dei vivi, filius veræ Religionis, 3. Et Eucharisticæ pietatis, cuius virtute, contemptis omnibus mundi deliciis, divitiis & triumphis, soli Regi Regum Christo placere in omnibus studuit moriens. Nullum reliquit hæredem suorum Thesaurorum, nisi pauperes innumeros, quos aluerat, & Ecclesiæ quas fundaverat : Ratus, nepotes facile, & omnem Sanguinis alveum exhauri, quod Deo aeterno Sacrum esset ævum superare.

Virtutum verò suarum hæredem instituit, omnem Romanorum Cæsarum posteritatem : postquam vixisset, ut fidelis Ecclesiæ Romanæ filius, Sedis Apostolicæ propugnator, inimicorum Crucis Christi debellator, immobilis Ecclesiæ Dei vivi columna,

L 3

Fortitudinis Exemplar ; Justitiae
Thronus, Eucharisticae pietatis, Ru-
bus semper ardens, nunquam com-
bustus, sanctitatis idea perfecta: Ma-
jestate Imperator, humilitate Reli-
giosus, zelo Apostolus, castitate An-
gelus, Aeternorum avidus, mortali-
um aspernator; Sanctissimae Triadis,
in spiritu & veritate adorator, J E S U-
C H R I S T I exinaniti, Crucifixi,
gloriosi, contemplator, amator, &
imitator, in cuius Divinitatis sinu,
cum Dei Genitrice semper Virgine,
quam ut dilectissimam Matrem coluit,
cum Sanctis Angelis, & Beatis coeli-
bus, gloriosus vivet & regnabit in
perpetuas Aeternitates. Regnabunt
cum illo in regno Regis Regum Chri-
sti J E S U, Reges & Principes Chri-
stiani, qui hanc armaturam Dei indu-
ti, praeliabuntur praelia Domini: non
suam, sed Sanctissimae Triadis majo-
rem gloriam quarentes. Divina Eu-
charistia J E S U - C H R I S T I ipsa est
victoria mundi, hac unâ armati, veri
Sanctissimae Triadis adoratores, om-
nia vincent, carnem, mundum, infer-
num; & per eandem Eucharisticam

virtutem, de ipsa morte, quæ se omnium victorum, Regum, Imperatorum, Imperatricem & triumphatricem; superbè jactat, magno Dei gratiæ auxilio, per Eucharisticam Communionem roborati, triumphabunt in perpetuas Æternitates.

NUMERUS XVI.

Pietas Eucharistica in augustissimâ Domino Austriacâ regnans & Imperans.

§. I.

QUAMVIS non sit mei propositi, hic recensere omnes victorias, quas Principes Catholici, virtute Eucharistica armati, de inimicis fidei reportarunt: non possum tamen victricem ejus potentiam, in exaltatione augustissimæ Domus Austriacæ non agnoscere, laudare & prædicare: ad propagationem divini cultus huic admirando, & admirabili Sacramento ab omnibus debiti. Notissima est ubique augustissimæ Domus Austriae potentia, claritas, gloria, sublimi-

L 4

tas, ex qua per quatuor sæcula & amplius à Rudolpho primo, usque ad Leopoldum Augustum, modò regnante: quindecim Principes Austriacos supra Solium Romani Imperii, humanæ dignitatis culmen: ingenti totius orbis Christiani bono, exaltatos cernimus, veneramur, & gratulamur: Deoque uni, trino, omnipotenti, in cuius manibus sunt omnium potestates, & omnium jura regnum, gratias agentes, ejus infinitam bonitatem, supplices deprecamur: ut per illos, quos in fidei & pietatis propugnatores, & propagatores elegit: opus suum perficiat atque coronet.

Quæ porrò est tantæ potestatis, Majestatis, & sublimitatis Augustissimæ hujus Familiæ ad supremum mundanæ celsitudinis fastigium à tot sæculis exaltatæ origo? quod exordium? Quâ viâ? quâ ratione, ad apicem supremæ, inter mortales dignitatis, non modò erecta est; sed in summis temporum periculis, in folio Cæsarum, à tam potentibus inimicis toties oppugnata, stare potuit usque ad præsentem diem? Humanas artes & industrias

scrutentur politici, & qui divinam prouidentiam Regnorum totius mundi gubernatricem non adorant: at singularēm divinæ benignitatis protectionem, in conservatione Augustissimæ Domus venerantur; qui Catholicos & Pientissimos Principes Deo charissimos norunt. Pro quibus Deus exercituum pugnavit, per quos vicit sævissimos Christiani Nominis hostes; in quibus, ut confidimus, glorioius triumphabit, donec Nominis sui inimicos sub pedibus conterat: eò omnia undè, qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione Dei Cœli commorabitur, irrideant increduli, ista veritatis oracula viri secundum cor Dei, qui non in arcu aut in gladio, & in equis ac quadrigis suis, sed in Domino confidebat: à quo exaltatus, & in throno populi Dei stabilitus, omnes adverfarios, ipsum perdere volentes, comprehendit & contrivit.

Non est abbreviata manus Domini, Christus, heri, & hodie, ipse & in sæcula, dives in omnes, qui invocant nomen ejus: illos qui pro ejus Ecclesiæ propagatione, contra sævissimos ejusdem

persecutores, perpetuò dimicant; non deseret; sed novis auxiliis benedictionibus, victoriis & triumphis Austriacorum Procerum fidem Catholicam, & Eucharisticam pietatem abundantius cumulabit, donec opus quod per illos aggressus est consummatum sit totum, omnię ex parte absolutum.

§. II.

Pergat ergo majora in dies aggredi, pro gloria Crucis certamina Magnanimus, & Piissimus Imperator: avitæ fidei, justitiæ, & eximiæ pietatis Majorum suorum, hæres Leopoldus Augustus, illustrioribus semper facinoribus, Nominis sui omen implens: omnium Cæsarum, in se uno gloriam colligat: & hæroïcis omnium Christianarum virtutum, actibus superexaltet; & quidquid est dispersum in cæteris, in universum, in uno Leopoldo cumulatum, totus terrarum orbis veneretur.

Postquam sapientissimus Regum Israël unam sapientiam, omnium regno-

rum gloriæ prætulisset : tam grata
Deo fuit ejus electio , ut spiritu des-
ideratæ præ omnibus sapientiæ reple-
tus , venisse sibi omnia bona pariter
cum illa asserat , & gratuletur. Fidem
Catholicam , & pietatem Eucharisti-
cam ac Marianam , duo immobilia Au-
striacæ Domus fundamenta , quis Chri-
stianus si rectum judicium judicet ,
prudentiæ , & gloriæ Salomonis , cu-
jus tam incertus est exitus , non esse
præferenda censeat ? quæ ergo bo-
na & dona perfecta à Deo optimo ex-
pectare non debeat , tam Catholicus ,
tam justus , tam Pius Imperator ? Mi-
ramur & suspicimus Rudolphi primi
victoriosi , perpetuam felicitatem ? se-
cundi prudentiam singularem ? Al-
berti triumphatoris illustres victo-
rias ? secundi supremos honores ? Fri-
derici primi invictam constantiam ? se-
cundi æquanimitatem ? Maximiliani
primi Heroicam fortitudinem ? secundi
clementissimam indolem ? Caroli quin-
ti potentiam ? Mathiæ justitiam ? Ferdi-
nandi primi Religionem ? secundi pie-
tatem beneficam ? tertii Clementiam ?
quarti amabilitatem ? Hæc omnia sunt

perpetua Austriacorum Principum
eximiæ pietatis erga Eucharistiam,
monumenta. Audeo dicere, quidquid
à quadringentis, & amplius annis ab
Habspurgicâ Radice, fidei Catholicæ,
justitiæ, virtutis, potentiae, gloriae,
ac felicitatis, emanavit; in uno Leo-
poldo, tanquam in Augustissimæ Do-
mus & Cæsarum omnium epilogo,
cumulandum confidimus. Certè si Sa-
cerdoti sapientiæ & probitate vitæ an-
no 1649. Brunæ in Moraviâ, cum op-
nione sanctitatis defuncto, cuius mul-
tas prædictiones veras fuisse constat,
fidem meritò adhibere possumus; Im-
perator Leopoldus, post multas tri-
bulationes, & persecutiones, & plu-
rima adversa: tandem divinâ ope, è
tot periculis, quibus opprimendus
credebatur, omnibus mirantibus eri-
pietur: omnes hostes superabit, &
confundet, atque pedibus suis sub-
jicit: Et brachio Altissimi cum piissi-
mo Imperatore præliante, vincet om-
nes suæ gloriae æmulos: Feliciter re-
gnabit: imò erit felicior, quam ullus
ex Domo Austriacâ fuerit; Deo au-
spice qui Pios Principes non in seipsis,

sed in Domino confidentes liberat de
manu angustiæ , & felices reddit ;
quoniam magna potentia Dei solius ,
& in humilibus illum invocantibus ho-
noratur. Felix est amicus Dei, inimi-
cus miser.

NUMERUS XVII.

*Magnum Dei donum, Rex Bonus ,
Justus, Pius.*

§. I.

N Unquam magis irascitur Deus
in populum suum, quām cūm
illum tradit in potestatem
Principum infidelium & iniquorum:
nec unquam majora , suis fidelibus
præbet singularis benevolentiæ ar-
gumenta , quām dando illis Princi-
pes bonos, justos, Pios, viros secundūm
cor suum. Mali sunt instrumenta furo-
ris in destructionem sunt gladii, ex
utraque parte acuti , & flagella ulti-
onis in destructionem. Boni sunt præ-
tiosa vasa electionis in ædificationem :
& Dona dilectionis in salutem ac san-

Etificationem bonorum, & correctionem improborum. Nihil est ergo toti orbi Christiano optabilius Imperatore bono, justo, Pio, qui omnes subditos suos amet ut filios, malos castigans ut fiant boni: bonos fovens ut sint perfecti, omnium rebus sollicitus, ut sint cum ipso Beati: Exemplo Regis Regum, Salvatoris omnium hominum Christi I e s u , cuius Principatus, super humerum ejus.

Tres sunt sublimiores, in terris Divinæ Trinitatis participationes, ad bonum regimē universi, præcipuè ad universalem Ecclesiæ militantis utilitatem. Prima est summa dignitas Sacerdotalis, quâ Sacerdos sanctus, Sanctissimæ Triadi totus consecratus, Sancta Dei Mysteria sanctè populis dispensat, ad sanctificationem populi fidelis, & ad illuminationem ac conversionem gentium. Altera est Donum Prophetiæ hominibus, singulariter electis, à Deo communicatum, ut futura annuncient, & Dei omnia cognoscentis, existentiam, sapientiam, & providentiam, manifestent hominibus, qui solum de præsentibus, & quidem externis, dum-

taxat judicant: sic Deus locutus est per ora Prophetarum antiquæ legis, qui multis sæculis ante Verbi Incarnationem & Nativitatem, ac Passionem, & Resurrectionem, novumque ejus regnum ex conversione gentium, tam clarè prædixerunt; & plurimas eorum mysteriorum circumstantias descripserunt, ac si fuissent oculati testes. Tertia dignitas præcellens, quæ omnium oculis fulget, est Regalis Potestas: Dei invisibilis Omnipotentiae imago quædam visibilis, Reges enim sunt, nobiliora Divinæ Majestatis, & potentia in temporali mundi regimine simulachra, & organa visibilia, quibus ipsemet Cœli & terræ conditor, homines in officio continere voluit; ideoque Regibus gladium justitiæ præbuit, quo malos cogant, & virgam seu sceptrum directionis, quo bonos protegant, illos pacificè gubernent, ac in bonis suis, contra iniquos tueantur.

Hanc Regiam Potestatem etiam in Paganis Principibus venerandam, ei-que, ubi Legi Dei non adversatur, obediendum. Fideles omnes monet Princeps Apostolorum, in sua primâ

Canonicâ Cap. 2. Subjecti, inquit, esto-
 „ te omni humanæ creaturæ propter
 „ Deum; sive Regi quasi præcellenti,
 „ sive Ducibus tanquam ab eo missis, ad
 „ vindictam malefactorum, laudem ve-
 „ rò bonorum, quia sic est voluntas Dei.
 „ Et iterum: Deum timete; Regem ho-
 „ norificate. Si Deus ipse honoratur in
 Regibus etiam infidelibus, quantò
 magis in Christianis Principibus hono-
 randus, quibus dedit & gladium ul-
 tionei suæ in vindictam malorum, &
 sceptrum justitiae, directionis & æqui-
 tatis in laudem, & salutem proborum!
 In his duobus boni, justi, & Pii Re-
 ges Christiani, Deo, uni, trino, Chri-
 sto J E S U, & Ecclesiæ militanti ser-
 viunt ut Reges bonos decet: quando
 illa in bonum subditorum, ac Eccle-
 siæ auxilium, ad propagationem No-
 minis J E S U, & ad Dei gloriam, illa fa-
 ciunt, quod non possunt facere nisi
 Reges potentes & probi.

§. II.

HÆc omnia quæ de Regiâ po-
 state dicta sunt: satis manifestè
 probant quæm magnum sit Dei donum,
Rex

Rex bonus; Catholicus, Justus, Pius, Potens, Magnanimus, magnificus in sanctitate, qui cum omnia in hoc visibili mundo possit facere; nil vult, nil agit nisi quod justum est, quod Ecclesiæ Dei vivi utile, quod Deo gloriōsum: quod suæ præcellenti Regiæ dignitati honorificum, quod populis salutare, quod inimicis fidei formidandum. Cæterū tam inter Reges antiqui populi Dei, quam inter Christianos Principes, paucos reperire est, in quibus, fuit magna sanctitas, magna sapientiæ conjuncta, in magnâ potestate, & rerum prosperitate. Regius Propheta, fuit quidem vir secundum cor Dei, & justus, sed non semper: Salomon Filius ejus, patrem suum superavit sapientiâ, potentîâ & gloriâ, sed cum senuisset depravatum est cor ejus per mulieres alienigenas, quas adamavit nimis, ponens scandolum in gloriâ suâ. Roboam verò Filius Salomonis, nec fuit Pius, nec sapiens, & uno die stultitiâ suâ ferè totum regnum patrum suorum perdidit. Josias quidem gubernavit, ad Dominum cor suum; & in diebus peccato-

M

rum corroboravit pietatem. Sed præter David & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda: & contempserunt timorem Dei, inquit, Ecclesiasticus *Cap. 49.* At inter Reges Israël, nullus bonus.

Verum quidem est post Regis Regum adventum plures Reges Sanctos, sapientes, potentes, numerari, in Ecclesiâ Catholicâ, quam in Judaicâ: sed præterquam, quod longè major est numerus Principum Christianorum, quam fuerit Israëlitarum: quot Sanctos Imperatores, & Reges potentes venerandos, & colendos à fidelibus proponit Romana Ecclesia? cuius est dc Sanctis ferre judicium verum, paucos certè admodum, numerat Sanctos Filios, Christianis virtutibus, quam sceptro gloriores, quæ plurimos ab initio passa est persecutores.

§. III.

QUatuor memoro, eximiæ sanctitatis Reges, quibus addo duos Principes ab Ecclesiâ Catholicâ, Ro-

manâ, agnitos, declaratos, & omnibus non solum ad venerationem, & invocationem, sed in primis ad imitationem propositos; ut magni Principes, qui Christiano Nomine glorian- tur, eorum facta Regia æmulentur, quorum virtutes prædicant, & mi- rantur.

Primus est **Henricus secundus Romanorum Imperator**, qui inaudito gratiæ prodigo, hæc tria summa, in suâ Personâ Regiâ conjunxit. Humilitatem Religiosam cum Imperatoriâ dignitate: virginitatem illibatam cum conjugio, & vitæ irreprehensibilis sanctitatem sublimem, & pietatem Eucharisticam, in Bellis & victoriis perpetuis, ut ostensum est in ejus elo- gio. Secundus est **Sanctus Ludovicus, Regum Galliæ Christianissimus, ju- stissimus, & piissimus**, qui in omnium Christianarum, & heroicarum virtutum actibus, consummato vitæ suæ innocentissimæ cursu, beatam ani- mam, Regi Regum **J E S U - C H R I S T O** carissimam, reddidit, exclamans voce magnâ, orationis igne in flammatâ: „Introibo in Domum tuam, adora-

M 2

„ bo ad Templum Sanctum tuum : &
 „ confitebor Nomi ntu o. Quibus di-
 c̄tis expiravit Regum sanctissimus,
 Æternæ Gloriæ coronâ dignissimus,
 dilectus Deo , & hominibus : cuius
 memoria , etiam hodie , in Benedi-
 ctione est , eritque usque in finem:
 Sola enim manet virtus , labuntur cæ-
 tera , & transeunt velut umbra.

Tertius est Sanctus Eduardus An-
 gliaæ Rex, nepos Sancti Eduardi, Re-
 gis & Martyris , qui raro exemplo
 virginitatem matrimonio sociavit ,
 exilio orationis & pietatis, ad om-
 a utilis: hic à Sancto Joanne Evan-
 gelistâ , quem mirificè coluerat , de
 mortis die præmonitus , paulò ante
 obitum , indictis toto Regno pro se
 precibus , piissimè , uti vixerat , obiit
 in Domino , & ad Christi Regis glo-
 riæ sinum , quem totâ devotione di-
 lexerat , sancta ejus anima evolavit.
 Quam felix eras , & quam sancta , ô
 Anglia Insularum magni maris Re-
 gina! tunc temporis Catholica , Ro-
 manæ Ecclesiæ adhærens , fidem te-
 nens , quam à Sancto Gregorio ma-
 guo , Apostolo tuo acceperas. Verùm

proh dolor! per summa scelera Hen-
rici VIII. per iniquissimam Elizabe-
tæ usurpationem alieni Regni; & per
ambitionem, ac insatiabilem cupidi-
tatem Avunculi Regis Eduardi VI. à
Gremio Sedis Apostolicæ te miserè
avulsisti; aut potius violenter avul-
fa fuisti. Numera nunc Sanctos tuos si-
potes? nonne ab infelibus illis tem-
poribus Ministri tui plurimos fece-
runt Sanctos Martyres? cum ipsi in
tanto numero Episcoporum suorum;
ne unum quidem invenire possint
verè Sanctum Confessorem: nec mi-
rum, ubi non est vera fides Catholica
Romana, non est vera Sanctitas, nul-
la salus illis qui à Sancta Sede, à vera
Petrâ, supra quam Ecclesia tota funda-
ta est, avulsi sunt, excisi sunt. Re-
vertere ergo, revertere ad sinum San-
ctæ Matris tuæ Ecclesiæ, Catholicæ,
Apostolicæ, Romanæ; citò reverte-
re, ut intueamur te, in pristinis splen-
doribus Sanctorum, & adimpleant
Angli conversi, Angelos Sanctos, no-
vâ lætitia.

Quartus Rex, excellentis & notis-
simæ sanctitatis, est Stephanus pri-

M 3

mus Rex Hungariæ; à Sancto Hen-
 rico Imperatore, fulgore fidei Catho-
 licæ Romanæ, ad Christum addu-
 ctus, qui fidem veram confirmavit,
 morum integritate, vitæ sanctitate,
 pietate erga Eucharistiam, & Dei Ge-
 nitricem; liberalitate, in Templo-
 rum & Monasterium fundatione, &
 in Christi pauperes: ideoque ejus dex-
 tera munifica, resoluto corpore, in
 tumulo, incorrupta permanuit; cujus
 Sancta anima, ab eadem admirabili
 Matre, Sanctorum omnium Reginâ,
 quam ardentissimè diligebat, invoca-
 bat, & venerabatur; ipso suæ Assum-
 ptionis die in Cœlum est recepta. Rex
 ille Sanctus, inter cæteras prætiosas
 Cœli Margaritas, hanc filio suo San-
 to Emerico, in hæreditatem reliquit.
 „ Benè intelligas fili mi, ex inobedien-
 „ tiâ Divinæ Legi, omne malum ortum
 „ esse; ex obedientiâ omne bonum: fi-
 „ dem Christianam, Catholicam, Apo-
 „ stolicam, Romanam, omni diligen-
 „ tiâ custodias, conserves, ut omni-
 „ bus, tibi à Deo subjectis, exemplum
 „ præbeas. Ad Templum accede ut ad
 „ Domum orationis: oratio enim maxi-.

ma est *acquisitio Regalis dignitatis & peccatorum remissionem*, per eam obtinebis. His quatuor Regibus addo duos Sanctos Principes Regum Filios, qui spreto regno terreno, soli Regi Regum Christo, vitam suam consecrarent. Primus est *Sanctus Hermenigildus*, illustris *Jesu-Christi* Martyr; pro cuius Divinitatis defensione, contra nefariam Ariani Patris hæresim, in carcere occisus, pro terreno, cœleste regnum adeptus est: ubi cum Christo *Jesu* Deo suo, cuius regni non erit finis, in *Æternum* regnabit.

Alter est *Regis Poloniæ Filius*, *Sanctus Casimirus*, qui Angelicam puritatem, perpetuam Virginitatem, assiduitatem orationis, pietatem Eucharisticam, ardentissimum amorem *Jesu-Christi* Crucifixi; omnibus Regiæ Domus Divitiis, deliciis, ac titulis præferens; consummatus in brevi, explevit tempora multa, plenus meritis, prænunciato mortis die; inter Sacerdotum, & Religiosorum choros, quos semper ut Dei ministros veneratus erat; tota auctoritate

protexerat, & suis opibus aluerat:
Spiritum Deo reddidit.

Sunt & aliqui alii, tam Reges quam
Principes in orbe Christiano non minus
sanctitate, quam Regiâ claritate illu-
stres, sed hi in medium afferuntur, ut
magis noti, & meritis excellentiores.
Verumtamen hoc certum est; Sanctos
Reges & Principes, tum in veteri, tum
in novo Testamento nimis paucos esse
in comparatione multorum, qui Sancti
non sunt, non quia, non possunt, sed
quia nolunt. Nimirum opus est ma-
gnâ animi contentione, & sui ipsius
victoriâ, vim sibi perpetuò faciendo.
Oportet Reges & Principes Christianos
esse sobrios in epulis, castos in ille-
cebris omnium sensuum: humiles cor-
de in solio humanæ gloriae: Pios &
Deo unitos in strepitu armorum, & in
tumultu negotiorum sacerularium im-
plicatos: pauperes spiritu in affluen-
tiâ divitiarum, cor illis non appo-
nentes. Quam hæc rara est virtus, in
medio nationis pravæ! scilicet, mundi
prospera rectum auferunt; & prodigi-
um est gratiæ, inter pericula pecca-
torum, undique Reges & Principes

circumvallantium, diu stare in justi-
tiâ, & æquitate; aut si progrediendum
sit inter tot & tanta præcipitia, per me-
diam & arctam virtutis viam, non
declinando neque ad dexteram, ne-
que ad sinistram, sic currere, ut com-
prehendas terminum Christianæ per-
fectionis.

§. I V.

QUæ cùm ita esse, extra dubium
sit; tanto majori veneratione,
& dilectione digni sunt, qui in folio
Regio, à Deo collocati, ut omnibus
præluceant exemplo Regalium vir-
tutum; Sanctitatem, & sapientiam,
suæ supremæ potentiaæ sic conjun-
gunt, ut cùm summam habeant, in
temporalibus potestatem; illâ non
utantur, nisi secundùm Leges veræ
sapientiæ, & sanctitatis: videlicet ad
protectionem Ecclesiæ militantis con-
tra inimicos Religionis Christianæ,
Catholicæ Romanæ; ad propagatio-
nem gloriæ Nominis JESU in genti-
bus: ad firmamentum justitiae in suis
omnibus ditionibus; ad fovendam

amicitiam cum viciniis populis: ad terrorem iniquorum, & laudem ac remunerationem bonorum; ad solatium, refrigerium, & auxilium, ac bonum universale subditorum, quos diligere debent paterno affectu, fovere in gremio potentiae, illis datae à Deo, non ad destructionem, sed ad ædificationem omnium; ut cum illis, per legitimum usum temporalium bonorum, per obedientiam legi Dei, Ecclesiæ Christi, & maximi Pastoris Gregis Dominici decretis: ut probos filios decet, transeant ad æternum regnum, Regis Regum I E S U C H R I S T I; siquidem illius sanctitatem, justitiam, sapientiam, bonitatem & Regales virtutes, illi præ cæteris æmulari debent, qui majori supra cæteros potestate sublimius exaltatos se vident: ut sicut soles mystici, in firmamento Ecclesiæ militantis, Solis justitiae motum sequantur; à quo omnia sidera Cœli lucem suam mutuantur: qui ergo ab ejus lumine se substraxerint, cadent in obscurum; sicut cæcidit de Cœlo Lucifer, cum Angelis suis, Deo Creatori suo rebellibus, &

non est amplius inventus in Cœlo locus eorum: sed omnes cum Principe suo demersi sunt in profundum abissi. Sic sequitur, & persequitur superbos ulti Deus omnipotens; & dorsum eorum incurvat, qui caput suum exaltare præsumebant, super astra Cœli, & esse similes Altissimo, in gloriâ, quam alteri non dabit. Sic omnis qui se exaltat contra Deum, humiliabitur a Deo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: quia magna potentia Dei solius, & in humilibus honoratur. Potentes omnes ergo, suâ potentia abutentes, potenter tormenta patientur; quippe nulla est potentia, nulla sapientia contra Dominum: ipsi vindicta & ille retribuet. Durum est contra stimulum Omnipotentis calcitrare, & durissimum judicium fiet iis qui non secundum Dei leges judicant. Deum ergo omniū supremum Dominum & judicem summum, summè timant qui in terris timentur ab omnibus. Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus omnipotens, qui justitias judicabit, sine acceptione personarum.

Igitur Apostolicis ordinationibus

obtemperantes, offeramus Sanctissimæ
Triadi spirituales victimas; Sacrificium
in cruentum Agni, per preces arden-
tes, charitatis igne accensas, pro om-
nibus hominibus: in primis pro Re-
gibus & Principibus Christianis, ut
uno animorum consensu, sub uno vi-
sibili Ecclesiæ militantis Capite; com-
munem Christiani Nominis hostem
oppugnent: & unanimiter perseve-
rent, in unâ Ecclesiâ, Catholicâ, A-
postolicâ, Romanâ; quæ bene fun-
data est ab ipso Christo supra firmam
unitatis, & charitatis Petram, contra
quam superbæ inferorum portæ non
prævalebunt: cuius primum, & im-
mobile fundamentum, est ipsem
Deus-Homo, Apostolorum, & Pro-
phetarum, Lapis angularis, omnia in
seipso uniens, atque ipsius Apostolicæ
Sedis firmitas immobilis. Obsecro igit-
ur primum omnium, inquit, Aposto-
lus Paulus, Doctor gentium, & Dux
exercituum Christi, fieri obsecratio-
nes, orationes, postulationes, gra-
tiarum actiones, pro omnibus homi-
nibus; pro Regibus, & pro omnibus
qui in sublimitate sunt: ut quietam &

tranquillam vitam agamus, in omni
pietate & castitate: hoc enim bonum
est, & acceptum, coram Salvatore
nostro Deo, qui omnes homines vult
salvos fieri, & ad agnitionem veritatis
venire; unus enim Deus, unus me-
diator Dei & hominum, Homo Chri-
stus J E S U S, qui dedit Redemptio-
nem semetipsum pro omnibus. I.
Tim. 2.



NUMERUS XVIII.

Tres Supplicationes Christianæ; Prima ad Sanctissimam Trinitatem, unum Deum Creatorem omnium: Altera ad unum Mediatorem Dei & hominum, JESUM-CHRISTUM Deum Hominem, omnium Redemptorem: Tertia ad Sanctam Dei Genitricem, semper Virginem Immaculatam MARIAM omnium Christianorum, Parentem, Advocatam, & Mediatricem apud Filium suum, quam ipse me dedit omnibus in Matrem.

§. I.

ORATIO AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.



Sanctissima & indivisa Trinitas, una Deitas; Deus, unus, trinus; Pater, Filius, Spiritus Sanctus; unus Deus creator

omnium : omnes Christianos, præ-
sertim Principes Catholicos, sub uno
Capite totius Ecclesiæ, in uno spiritu
veritatis, & charitatis, sic conjunge ;
ut simul unum corpus indivisum con-
stituant : & unanimes, læti & alacres,
constanter pro corona æternæ Glo-
riæ , prælientur prælium Domini ;
prælium Regis Regum Christi JESU,
prælium Sanctissimæ Triadis, Patris,
Filii, & Spiritus Sancti. Sic ô Trini-
tas Divina, ubique terrarum te unum
Deum in substantia , trinum in Perso-
nis adorabimus, in spiritu pietatis &
veritate fidei Catholicæ ; tibi servie-
mus humero uno, uno corde, & uno
ore : ubique tibi psallemus , ubique
agemus jubilæum , cùm Terra Sancta
totusque orbis ad pristinam fidem, ad
pristinum herum & Dominum suum
revertetur : ubique, tibi Deo , uni,
trino, in linguae novæ mentisque ju-
bilo , exultantibus animis , & voci-
bus jubilabimus , psallentes in unum,
Sanctus, Sanctus, Sanctus , Deus ,
unus, & trinus: Gloria Patri, & Fi-
lio, & Spiritui Sancto. Hocce fide-
lium omnium, hoc meum unicum est

votum, quod mihi ab olim, ô Sanctissima Trinitas & una Deitas inspirasti, & inspirare non desinis; ut assiduè desiderem, & obsecrem te, pro excidio Mahometismi, Hæresis, & Paganismi. Utinam ô omnipotentissima Trinitas, triplicem horum tuorum hostium ruinam ante mortem videre me contingat, ut toto orbe sit unum Christi ovile, & unus Pastor, tunc utique latus occumbam, canamque & jubilabo cum Sancto Simeone. Nunc
 „ dimittis servum tuum Domine, se-
 „ cundum verbum tuum in pace. Quia
 „ viderunt oculi mei salutare tuum:
 „ quodparasti ante faciem omnium po-
 „ pulorum: Lumen ad revelationem,
 „ gentium & gloriam plebis tuæ Israël.
 Tunc pariter occinet discipulus quem
 diligebat J E S U S, Vidi Sanctam Civitatem
 Jerusalem, novam descendenter
 de Cœlo à Deo, paratam sicut spon-
 sam ornatam viro suo: Tunc modula-
 bitur Tobias illud c. 13. Jerusalem Ci-
 vitas Dei, luce splendida fulgebis, &
 omnes fines terræ adorabunt te. Be-
 neditus Dominus qui exaltavit eam,
 & sit regnum ejus in sæcula sæculorum
 super

super eam, Amen. Tunc rursum psal-
let Regius Vates, Omnes gentes plau-
dite manibus, jubilate Deo in voce
exultationis. Elegit nobis hæredita-
tem suam speciem Jacob quam dilexit
magnus Dominus, & laudabilis ni-
mis, in Civitate Dei nostri, in monte
sancto ejus. Fundatur exultatione,
universæ terræ, mons Sion, latera
Aquilonis, Civitas Regis magni, Deus
in domibus ejus cognoscetur, cum
fuscipt eam. Lætentur Cœli, &
exultet terra, commoveatur mare &
plenitudo ejus. Dominus regnavit,
exultet terra, lætentur insulæ multæ:
adorate eum omnes Angeli ejus, au-
divit & lætata est Sion, exultaverunt
filiiæ Judæ, propter judicia tua Domi-
ne: viderunt omnes fines terræ salutare
Dei nostri: omnis spiritus laudet Do-
minum. Tunc exultabit Isaías: Lau-
date Cœli quoniam misericordiam fe-
cit Dominus: jubilate extrema terræ,
resonate montes laudationem, quia
consolatus est Dominus, populum
suum, & pauperum suorum misere-
bitur.

Surge illuminare Jerusalem, quia

N

venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Tunc buccinabit Sophonias: Lauda filia Sion, jubila Israël, lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos; Rex Israël, & Dominus in medio tui, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. Tunc jubilabit Zacharias, Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet, tibi justus & Salvator, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?

§. II.

ORATIO AD JESUM-
CHRISTUM.



Domine mi JESU-CHRIS-
TE Salvator omnium homi-
num maximè fidelium, so-
lus Deus - Homo, Media-

tor Dei & hominum , qui dedisti temetipsum redēptionem pro omnibus , semper vivens ad interpellandum pro nobis , qui pro omnium salute sanguinem tuum fudisti , volens omnes homines salvos fieri , nolens aliquem perire ; tu es Advocatus noster apud Patrem , tu es propitiatio pro peccatis nostris , non pro nostris autem tantum , sed & pro totius mundi. Tu ipse ore tuo Sacro-Sancto , Patrem pro nobis precando dixisti : Hæc est vita æterna , ut cognoscant te solum Deum verum , & quem misisti JESUM-CHRISTUM : ideo cum in forma Dei esses exinanivisti temetipsum formam servi accipiens , & factus es obediens usque ad mortem Crucis , ut exaltatus à terrâ omnia corda traheres ad te ipsum , ut omnis qui credit in te , in te sperat , te invocat , te diligit , & sequitur te usque in finem , non pereat , sed habeat vitam æternam per te : de cuius plenitudine nos omnes accepimus , gratiam pro gratia. Ideo Pater tuus exaltavit te , & dedit tibi nomen quod est super omne nomen , ut in nomine tuo JESU flectatur om-

N 2

ne genū, cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS-CHRISTUS, victor omnium per crucem suam, in gloria est Dei Patris. Postula ergo à Patre, & dabit tibi omnes gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, & dicetur ubique terrarum in nationibus, regnavit à ligno Deus-Homo. Alleluia laudate Dominum.

§. III.

ALLOQUIUM AD DEI GENITRICEM.

DU quoque, semper Immaculata, semper Virgo, gratiâ plena ab initio, Sancta Dei Genitrix MARIA; inter omnes puras creaturas Benedicta, & Beatissima; tu Patris æterni Filia primogenita, Verbi Incarnati in te, & de te, sola vera Parrens, Dei Genitrix MARIA, Spiritus Sancti Sponsa, Sanctuarium animatum Sanctissimæ Triadis; tu sola cunctas hæreses interemisti in univer-

so mundo: Has quoque nostri ævi in-
terime; assere tibi Terram Sanctam,
quasi tuum Natale solum; assere Hun-
gariam olim tibi clientem & suppli-
cem, ideoque regnum Virginis nun-
cupatam: assere cæteras Provincias,
quia cunctarum es Regina & Domina;
omnibus misericordiæ tuæ sinum ape-
rias, ut de plenitudine tua accipient
universi: multæ siquidem Filiæ Dei,
animæ Sanctæ, congregaverunt sibi
& suis divitias spirituales, tu sola su-
pergressa es universas, nihilque nos
gratiarum Filii tui, Deus, unus, tri-
nus, habere voluit, quod per manus
tuas non transiret: ô Advocata, & Me-
diatrix omnium apud Mediatorem no-
strum JESUM, qui in Cruce moriens
pro omnibus, te omnibus dedit in
Matrem! cùm ergo Cœli & terræ sis
Domina & Regina, Mater misericor-
diæ, vita dulcedo, & spes nostra, illos
tuos misericordes oculos ad nos omnes
converte; nec modò sentiant tuum
juvamen qui te invocant, sed ipsi in-
fideles, qui te vel non norunt, vel
etiam contemnunt, per te veniant ad
lucem veræ fidei: ut illuminati San-

N 3

Etissimam Trinitatem, Deum, unum, trinum, omnium Creatorem & conservatorem, principium & finem agnoscant & adorent in spiritu & veritate, in JESUM-CHRISTUM verum Deum & hominem Salvatorem, omnium hominum credant illum eum; coæternum, & consubstantialem Patri secundum Divinitatem; minorem vero Patre secundum humanitatem: confiteantur, & prædicent nobiscum nomen ejus, omnibus qui illum invocant, salutare.

Te etiam, ô Sancta Virgo Dei Mater MARIA, venerentur, diligent, invocent omnes gentes, per quam salus mundi, Salvator omnium JESUS, unigenitus tuus credentibus apparuit: Tu enim ut ait Cyrillus Homilia.6. contra Nestorium, sacrilegum tui Nomini, & summae tuæ dignitatis ac gloriæ hostem; Tu ô Cœli terræque Regina es pretiosa illa Margarita orbis terrarum, tu lucerna extinti luminis, corona Virginitatis, sceptrum Orthodoxæ fidei, Templum indissoluble, continens eum, qui nusquam contineri potest: Mater & Virgo. Per te Trinitas Divina sanctificatur, per te

crux Christi pretiosa dicitur, & adoratur, per te exultat Cœlum, lætantur Angeli & Archangeli. Fugantur Dæmones, & homo ipse ad Cœlum revocatur; omnis creatura idolorum errore detenta conversa est per te ad notitiam veritatis; & in toto orbe terrarum, Deo, uni, trino, constructæ sunt Ecclesiæ: te adjutrice gentes veniant ad pœnitentiam, per te unigenitus Dei Filius, vera illa lux effulgit sedentibus in tenebris & umbra mortis.

Te Prophetæ prænunciarunt, te Apostoli summis laudibus celebraverunt: eisdem ferè verbis, divus Bernardus totus JESU & MARIAE, te ô Dei Genitrix Virgo, ut Matrem misericordiæ omnibus datam, in Advocatam, & Mediatrixem apud Mediátorem unigenitum sinus tui, salutat, & invocat, omnium fidelium Nominis, his verbis, quibus obturat ora rugientium Leonum, Hæreticorum, inquam nostri temporis, qui non cessant Sanctissimam Dei Genitricem, & ejus cultum blasphemantes maledico dente carpere. Audiant eximium hunc &

N 4

pientissimum Ecclesiæ Doctorem Sermo 6. ad illa verba *Apocal. 12.* Signum magnum apparuit in Cœlo , mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in Capite illius corona Stellarum duodecim.

Vehementer quidem nobis vir unus & mulier una nocuere : inquit, sed gratias Deo , per unum nihilominus Virum, & per Mulierem unam omnia restaurantur , non sine magno fœnore gratiarum ; neque enim sicut delictum ita & donum , sed excedit danni æstimationem beneficij magnitudo : M A R I A omnibus omnia facta est , sapientibus & insipientibus , copiosa charitate debitricem se fecit , omnibus misericordiæ sinum aperit : ut de plenitudine ejus accipient universi .

Captivus redemptionem , æger curationem , tristis consolationem , peccator veniam , justus gratiam , Angelus lætitiam : denique tota Trinitas , gloriam , Filii Persona Carnis humanæ substantiam , ut non sit qui se abscondat à calore charitatis ejus .

Salve ergo mundi Domina , Cœli & terræ Regina , Angelorum & homi-

num gloria; salve Regina Sanctorum omnium: salve Virgo Virginum, Stella matutina, tota piena gratiâ in quam tota se infundit plenitudo gratiarum; mundi Christiani, in auxilium Domina festina: tu terribilis es principibus tenebrarum, sicut castrorum acies ordinata, contère omnes fidei Catholicæ inimicos. Quæ sola cunctas hæreses interemisti in universo mundo, sicut sola in initio viarum tuarum à principio, Immaculatæ Conceptionis tuæ in utero Beatæ Annæ Genitricis tuæ; in primo illo momento creationis & infusionis Sanctissimæ animæ tuæ, in Sacrum & semper Virgineum Corpus tuum, Divinæ Triadis Sanctuarium; tu sola caput superbi serpentis, tota clara luce Divinâ & charitate ignita contrivisti. Salve solis justitiae aurora, cuius splendoribus irradiata, Magos ab Oriente, primitias gentium, ad Filii tui cunabula attraxisti, & adorandum exhibuisti primis illis veris adoratoribus in spiritu & veritate. Per te ô Benedicta & Beatissima inter omnes, per Benedictum Fructum Virginei Ventris tui, populus qui sedebat in

tenebris, vidit lucem magnam: & gloria Domini super Sanctam Civitatem Jerusalem orta est, tu enim fecisti ut in coelestibus oriret urlumen indeficiens; lux vera Verbum Patris lumen, spirans amorem Sanctum, lux Æterna quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Dirige ergo universos & singulos ô inclita Maris Stella! MARIA Domina illuminata & illuminans: succurre orbi in abyssum erroris & iniquitatis, ac subinde æternæ damnationis ruenti. Ecce innumeræ nationes, Indorum, Turcorum, Mahometanorum, Paganorum, Judæorum & Hæreticorum ac infidelium, per totum orbem diffusæ: inter æstuantes hujus sæculi turbines, inter scopulos hujus mundi iniquissimi, in maligno positi non navigant, fluctuantes in procellis feri maris, sed submerguntur & demerguntur in profundum Inferni Barathrum.

Tu igitur ô potentissima & clementissima Domina! Mater misericordiæ succurre miseris, dirige omnes gentes JESU-CHRISTI Filii tui

Sanguine redemptas; recto cursu ad Orthodoxæ fidei veritatem, ad veram justitiam & sanctitatem, ut tandem cum fidelibus, adoratoribus Dei ad æternæ salutis portum, te duce perveniant.

Cæterū sicut Unigenitus tuus, omnes vult, ad agnitionem veritatis venire, omnes homines vult salvos fieri, neminem vult perire, qui salvandis omnibus venit; sic tamen est Salvator omnium hominum, ut sit maximè Salvator fidelium, qui in illum credunt; & qui in illo renati, illum diligunt & sequuntur usque in finem. Sic tuetiam ô Mater cunctorum viventium, qui ut Mater Salvatoris omnium hominum, vis omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: monstrate te maximè Matrem, monstrantium se tuos cupere esse filios, pios, castos, obedientes: impetrata per potentissimas tuas ad Filium preces, obtine nobis omnibus, magnam ejus gratiam, ut Deum, unum, trinum, in Spiritu Sancti amoris ac timoris, & veritate fidei Orthodoxæ adoremus; ut JESUM-CHRISTUM

verum Deum, & verum hominem
Salvatorem nostrum credentes, dili-
gamus, & sequamur per viam Re-
giam salutis usque in finem vitæ hu-
jus mortalis: & sic tandem illum te-
cum ô Dei Genitrix; semper Imma-
culata, semper Virgo, verè Deipara
M A R I A, Regina Sanctorum om-
nium; videamus facie ad faciem: &
illo in Æternum fruamur, in Gloria
Patris, cum quo vivit & regnat in uni-
tate Spiritus Sancti Deus. In quem de-
siderant Angeli prospicere, per om-
nia sæcula Beatæ Æternitatis: ut sit
solus Deus, unus, trinus, omnia in
omnibus.



NUMERUS XIX.

*Nemo potest ad portum Aeternæ salutis
pervenire, nisi in Arca militantis
Ecclesiae, in navi B. Petri Principis
Apostolorum militet, sub obedien-
tia Romani Pontificis, supremi Chri-
stianorum moderatoris: & Christi
JESU, in terris Vicarii Uni-
versalis.*

§. I.

Nihil est potentius, & efficacius
ad debellandum communem
Christiani Nominis hostem:
& conterendum omnes Ecclesiæ mili-
tantis inimicos: perfectâ unione fide-
lium inter se, sub unico visibili Capi-
te, Duce, Rectore, summo Nau-
clero, supremo gubernatore navis Bea-
ti Petri, Romano Pontifice prælian-
tium, ad gloriam Crucis Christi. Ad
hanc tam necessariam, & salutarem toti
Ecclesiæ Catholicæ unionem stabilien-
dam: vellem altè, nunquam delendis

Caracteribus, impressam in omnium Regum, Principum, Procerum Christianorum animis, hanc epistolam, scriptam ad Claudium Regem Abissinorum, à Viro insigni prudentiâ, cœlesti sapientiâ, spiritu Apostolico: zelo majoris Dei gloriæ, ac mirabilis vitæ eminenti sanctimoniam, toto orbe clarissimo, magno inquam Ignatio. Argumentum dictæ Epistolæ est de primatu Romani Pontificis, supremi omnium Christianorum Pastoris, totius militantis Ecclesiæ unici Capitis, ab ipso Christo, supra singulos, & universos fideles exaltati: in Sancta Sede Apostolica, tanquam in folio veritatis, ut omnes fratres suos in fide & in verâ pietate confirmet.

EPISTOLA

*Sancti Ignatii ad Claudium Regem
Abyssinorum.*

Dñe Omine mi, in Domino nostro JESU CHRISTO, gratia tuæ Celsitudini, & salus, & affluentia donorum spiritualium à Domino

nostro J E S U - C H R I S T O . Serenissimus Portugalliæ Rex, pro cā follicitudine, ac zelo, quem illi Deus Creator noster, ac Dominus dedit, gloriæ Sancti Nominis sui, & salutis animarum; quæ unigeniti ejus filii, pretioso Sanguine, & vitâ redemptæ sunt; non semel ostendit mihi per litteras, pergratum sibi fore, si è Religiosis, nostræ minimæ Societatis J E S U N omne insignitæ, duodecim Viros designarem: è quibus ille Patriarcham unum, duos Coadjutores pariter, & successores, eligeret; iisdemque, à summo Christi Domini nostri Vicario, suppliciter peteret auctoritatem, & jus, quo jure, ad suas quisque partes ritè obeundas, ipsi cum Sacerdotibus aliis, in tuæ Celsitudinis regna transmitti possent, &c.

Quam ob causam optandum fuerat, uti ad hæc tam recta tuæ Celsitudinis studia, conatusque, subsidium adfasset spiritualium Patrum; quibus & legitima potestas, ab hoc Sanctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivatâ, & fidei Christianæ pura, & sincera doctrina suppeteret quæ nimirum duæ sunt

illæ claves regni Cœlorum, quas Christus Dominus noster, Sancto Petro, & omnibus, qui deinceps, in ejus erant solio sessuri, promisit prius, dein ipsa re tradidit: promisit tantummodo dum ad eum dixit, ut legimus apud Mathæum Evangelistam *Cap. 17.* Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Eandem promissionem illi confirmavit *Lucæ 22.* Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Tradidit autem & promissa patravit, cùm post Resurrectionem, antequam in Cœlum ascenderet sciscitatus ex eoter, quemadmodum affirmat divus Joannes Evangelista, *Cap. 21.* Simon Joannes diligis me plus his, subjunxit in singula responsa; Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas. Committens illi non partem aliquam ovium

ovium suarum, & agnorum, sed totum prorsus gregem, universâ cum plenitudine potestatis: ad alendos vitali Christianæ Religionis pabulo, cunctos ubique fideles, eosdemque ad cœlestia sempiternæ beatitudinis pacua perducendi. Ac cæteris quidem Apostolis, auctoritatem Christus Dominus noster impertiit delegatam, ac veluti extraordinariam: at Sancto Petro ejusque successoribus ordinariam, ac plenam, uti ab hoc summo Pastore, tanquam à fonte, reliqui animarum Pastores, peterent, eidemque acceptum ferrent, quidquid omnino juris, ad suum quisque munus ac regimen obtinerent: quod olim adumbraſe per Isaïam videtur Dominus, cum de Eliachim loquens Pontifice maximo. Et dabo, inquit, clavem Domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet & non erit qui aperiat: *Isaïa* 22. Quo videlicet typo figuratus est Petrus, ejusque successores, quibus datam integrum potestatem declarant claves, consuetum utique symbolum, & insigne pleni, atque absoluti Do-

O

minii. Quæcum ita sint, Celsitudo tua gratias debet ingentes Domino Deo nostro, quod ipsa regnante potissimum, dignatus fuerit istis nationibus mittere veros animarum Pastores, qui à summo pendeant Pastore, ac Vicario, quem reliquit in terris **J E S U S - C H R I S T U S** Dominus noster, & quantamcumque habent potestatem, quæ sanè per ampla est: hanc ab eodem illo Vicario totam acciperent.

Nec sine causâ Patri, Avoque tuæ **Celsitudinis**, displicebat sumi ab Urbe Alexandrinâ Patriarcham: quippè sicuti divulsum à corpore membrum; neque motum, neque sensum, neque omnino vitam à corpore accipit suo: ita **Ægyptius** Patriarcha, sive ille **Alexandriæ**, seu **Memphi** degat; cum schismaticus sit, ac disjunctus ab hac **Sacro-Sancta Sede Apostolicâ**, & ab Ecclesiæ totius Capite Pontifice summo: videlicet vitam gratiæ, & Pastoralē auctoritatem, nec sibi recipit ipse, nec alteri cuiquam valet legitimam impertire. Ecclesia namque **Catholica**, una tantum est in orbe terrarum: neque fieri potest ut alia **Roma**.

no Pontifici, alia pareat Alexandrino? Uti sponsus ejus Christus unus est; sic sponsa illius unica, de quâ Salomon ait in Canticos, ex Personâ Christi Domini nostri, Una est columba mea *Cap. 6.* & Oseas Propheta, *Cap. 1.* Congregabuntur filii Israël, & filii Iuda pariter, & ponent sibi caput unum. Et in eandem sententiam multò deinde post Christus, per Sanctum Joannem fiet, inquit, unum ovile & unus Pastor. *Ioan. 10.*

Una erat, quemadmodum in Genesi *Cap. 7.* legimus, Arca Noë extra quam nulla omnino salus; unum tabernaculum, quod fabricatus est Moyses, *Exod. 26.* Unum Hierosolymæ Tempelum, à Salomone conditum, *3. Reg. c. 9.* Quo in Templo sacrificare & adorare oportebat, una cujus stareetur judicio Synagoga. Hæc nimirum omnia Ecclesiam denotabant, quæ unica est item: extra quam non est veritas, non est sanctitas, non est salus; nil veri, nil boni, ad æternam animæ vitam. Etenim qui cum ejus corpore conjunctus non fuerit, nempè nullum à Christo Capite recipiet influxum gratiæ.

O 2

vivificantis animam; ac præparantis ad felicitatem Æternam.

Hujusce veritatis declarandæ causâ contra quosdam hæreticos in symbolo canitur, Credo unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; damnatusque à Sacris Conciliis error est, privatas Ecclesias, seu Alexandrinam, Constantinopolitanam aut similes dari, quæ communi omnium Capiti subjunctæ non sint, Pontifici Romano, ex quo perpetua serie, à Sancto usque Petro, qui Christi Domini jussu, (uti à Divo Marcello martyre traditum est, Romanam elegit Sedem, eamque suo cruento sancivit,) perducti Romani Pontifices, Vicarii Christi, citra controversiam, à tot ac tanta sanctitate & eminenti sapientia Doctoribus, Latinis, Grecis, omniumque nationum habitu: ab Sanctis Anachoretis, Episcopis, & aliis Confessoribus veneratis; tot signis atque miraculis, tot denique millionibus martyrum, qui in hac fide, & unione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vitam profudere, testimonio comprobati sunt.

Merito igitur consentiente omnium

Episcoporum voce , qui ad Calcedonensem convenerant Synodum Papæ Leoni pariter acclamatum: Sanctissimus, Apostolicus, universalis. Et in Constantiensi damnata est hæresis negantium super omnes & singulas omnium terrarum Ecclesias, Primum Romani Pontificis eminere , ad quas tam disertas , firmasque Patrum sanctiones , atque decreta, Concilii quoque Florentini; quod sub Eugenio IV. Præter alias nationes , à Grecis etiam , Armeniis , & Jacobitis tanto studio celebratum est , in hæc verba accessit auctoritas. Definimus Sanctam Apostolicam Sedem , & Pontificem Romanum , in universum orbem , tenere primatum ac successorem esse Petri: & verum Christi Vicarium , totiusque Ecclesiæ Caput , & omnium Christianorum Patrem , & Doctorem existere: & ipsi in Beato Petro , pacandi , regendi , gubernandi universalem Ecclesiam , à Domino Iesu CHRISTO potestatem , plenam esse traditam.

Jure igitur Serenissimus Rex David , tuæ Celsitudinis Genitor , misso

O 3

ad obsequium Romano Pontifici deferendum Legato: Sanctam hanc Sedem omnium Matrem, ac Principem agnovit: cumque alia multa & præclaræ, ipsi ut pariter, & tuæ Celsitudinis acta numerentur: tum duo hæc ejusmodi sunt: ut, eorum præstantiam, nulla unquam obscuratura sit oblivio: ac proinde ab omnibus, qui sub isto vivunt Imperio, immortales auctori omnium bonorum Deo debentur gratiæ, pro tam singulari, in eos beneficio, vestra duorum opera, industria, virtute collato.

Cum alter omnium primus, se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris, perpetuò fore professus sit. Alter item primus, dictum ab eodem Christi Vicario Patriarcham: verum ac legitimum Sedis Apostolicæ filium in sua regna perduxerit. Etenim si in magni beneficij loco habendum est, ut profecto est, insitos esse corpori mystico Ecclesiæ Catholicæ, quod à Spiritu Sancto vivificatur ac regitur: quam teste Evangelistæ, idem Spiritus docet omnem veritatem, *Ioan. 16.* Si eximium est munus, lucem sanæ

doctrinæ intueri, & Ecclesiæ fundamen-
tis insistere, quam Apostolus
Paulus ad *Timothæum* 1. *Epist.* 3. scri-
bens, Domum Dei, columnam & fir-
mamentum veritatis appellat; cui se
promisit, in æternum affore Christus
Dominus, inquiens Mathæi ultimo,
Ecce ego vobiscum sum usque ad con-
summationem sæculi; est sanè cur sine
fine gratulentur istæ nationes Deo
Domino & Conditori nostro, cuius
providentia per tuam, Parentisque tui
Celsitudinem tanto illos bono digna-
ta est.

Et quoniam Christi fideles cunctos,
Ecclesiæ firmiter assentiri, ejusque
decretis obtemperare, & si quid existat
ambiguum aut obscurum, eandem
conculere necesse est; non dubito quin
tua excellens pietas, probitasque, pu-
blico edicto curatura sit in suis regnis,
ut omnes omnium hominum ordines;
tum Patriarchæ ipsius, tum etiam eo-
rum, quos ille, sibi substituet, dicta.
Responsa, præcepta, citra ullam du-
bitationem sequantur. Constat ex
Deuteronomio *Cap.* 10. De controver-
siis omnibus ac nodis ad Synagogam

O 4

Ecclesiæ prænunciam referri solitum, hinc illa quoque Christi Domini verba *Math. 23.* Supra Cathedram Moy si federunt Scribæ & Pharisei: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite. Id ipsum in Proverbii docet Sapientia Salomonis *Cap. 10.* cùm ait, Ne dimittas præcepta Matris tuæ, ea est Ecclesia. Et ibidem *Cap. 22.* Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui, ii sunt ejusdem Antistites.

Denique tantum Ecclesiæ suæ tribuī, ac deferri vult Dominus, ut per Evangelistam suum Lucam *Cap. 10.* apertè denuntiet: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. Et per Sanctum Mathæum *Cap. 18.* Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Ex quo apparet ne aures quidem præbendas eis, qui alienum quidpiam à sensu Ecclesiæ Catholicæ attulerunt. Sancto quoque Paulo Doctore gentium in universo mundo; in epistolâ ad Galatas id ipsum præmonente, cum ait, Si aliud vobis Angelus de Cœlo evangelizaverit, præter id quod evangeli-

zavimus vobis, Anathema sit. *Galat. Cap.*
 10. Ad summum hoc idem Sancti Do-
 ctores, Conciliorum Canones; fide-
 lium omnium consensus, & consue-
 tudo planè demonstrat. Ac vicissim
 Patriarchæ ac sociis ejus certum est,
 tuam Celsitudinem assiduo cultu, sub-
 missione, atque etiam quoad fas piu-
 que ferat indulgentiâ prosequi: nos
 verò quotquot in hisce terris, è mini-
 ma nostra Societate retinemur, tua
 Celsitudo ad omne obsequium in Do-
 mino paratissimos habeat, nostris qui-
 dem Sacrificiis & precibus ut jam in-
 stituimus, Deo supplicare pergimus
 uti Regiam Celsitudinem tuam, re-
 gnumque istud amplissimum in sancto
 suo famulatu conservet, detque illi
 ita transire per bona temporalia, ut
 non amittat æterna. Idem ipse Deus
 ac Dominus noster, omnibus nobis ad
 sanctissimam illius voluntatem, & cla-
 rè cernendam, & integrè exequen-
 dam, perpetuum lumen ac vires pro-
 suâ infinita bonitate suppeditet. Ro-
 mæ VII. Kalend Martias M. D. LV.

Hæ litteræ quas ad Claudium Re-
 gem Abyssinorum perferret Joanni

Oviedo Patriarchæ designato, cum
Pontificiis diplomatibus, & Sacro
Pallio, de more transmissæ sunt. Sed
quia, in Romano Pontifice ut in Chri-
sti Vicario in terris, potestatis pleni-
tudinem, non agnoverunt, nec illi eâ
quàm, spöonderant Rex & Magna-
tes, ac præcipui ex illo regno, sub-
missione obtemperarunt. Hi miseri
Abyssini, in abyssô errorum suorum,
& in suo schismate, avulsi à corpore
Christi, sub infami Principis tenebra-
rum jugo prorsus oppressi etiam hodie
manent, in æternum animarum sua-
rum, Christi Sanguine Redemptarum
interitum. Veritas Domini in æter-
num manet, Beato Petro & successo-
ribus ejus, universæ Ecclesiæ mili-
tantis, Christus ipse curam, guberna-
culum, & directionem perpetuam,
usque ad mundi finem tradidit; cum
plenitudine potestatis spiritualis. Nul-
la salus gentibus, Regibus, Princi-
pibus, populis, filiis Israël & omni-
bus hominibus, extra Arcam mysti-
cam Ecclesiæ Catholicæ: cuius su-
premus, perpetuus, & universalis
moderator est in Apostolicâ Sede, us-

que ad finem & consummationem sæculi constitutus ab ipsomet Christo Iesu Domino nostro : quisquis in Petri navim non vult ascendere , & in illa sub ejus regimine permanere , non vult ad æternæ salutis portum per venire : nulla igitur est spes salutis Iudæis incredulis ; Mahometanis , Saracenis , Abissinis , Hæreticis , Schismatisticis infidelibus omnibus , cujuscumque sectæ & nationis sint , nisi ad hanc visibilem novi Testamenti Arcam confugiant : quæ omnes veros Christi fideles , in unâ fide , sub unico visibili Capite , eidem ut Christi Vicario obedientes continent : & licet hæc mystica Ecclesiæ militantis arca , per undas & procellas magni maris , hujus sæculi nequam , vela faciens , undique tempestibus horrendis agitetur , nunquam submergetur . Aquæ diluvii quantumvis intumescant , Arca hæc extolleretur usque ad Cœlum : portæ inferni non prævalebunt adversus eam . Hæc sunt verba Verbi Dei Increati & Incarnati , Christi Iesu Dei-Hominis ; qui nec fallere potest , nec falli : qui est ipsamet veritas Æterna .

PARTIS PRIMÆ
NUMERUS ULTIMUS,
SEU EPILOGUS
BELLI SACRI.



UÆ huc usque multis dicta sunt de Bello Sacro, militantis Ecclesiæ contra inimicos Crucis Christi: nunc paucis contrahamus, quasi in summa-
rium, aut compendium: in quo tria clarius explicantur, videlicet.

1. Finis Belli Sacri.

2. Quinam ad illud obligentur, nempè omnes omnino Christiani: singuli suo modo.

3. Media opportuniora, & efficaciora, quibus singuli Christiani, unusquisque in suo ordine, munus suum adimpleant; ad Dei gloriam, Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ utilitatem, & ad salutem propriarum animarum: quas Christus Salvator omnium hominum, maximè fidelium, acquisivit sanguine suo.

His tribus benè intellectis, omnes

qui invocatione Sanctissimæ Trinitatis, per Sacrum Baptisma, in Christo renati sunt facile, cognoscent, quæ & quanta sit communis, & particularis obligatio Christianorum, ad hoc Bellum Sacrum capescendum, promovendum, & consummandum.

§. I.

Belli Sacri finis.

Rex Regum Christus omnium victor per Crucem suam: Dux exercituum Dei omnipotentis, ac summus Christianorum Imperator, quod suis primis Discipulis dixit, omnibus dicit, qui credunt, ac crediti turi sunt in eum; ut in Salvatorem, Regem & judicem omnium. Omnibus ergo fidelibus dicit hoc Verbum: Non veni pacem mittere sed gladium. Et paulò ante Passionem suam monuit Discipulos, ut vestimenta non necessaria venderent, & gladium emerent: & cùm respondissent illi, Domine ecce duo gladii hic, dixit illis: Sufficit: Qui sunt isti duo gladii necessarii & suf-

ficientes ad Bellum Sacrum, Ecclesiæ
militantis contra inimicos Sponsi sui
Crucifixi, contra hostes Nominis Chri-
stiani tam invisibiles, Principem hujus
mundi & Angelos ejus, quam visibi-
les, infideles ministri Principis hujus
mundi: & præcursores Antichristi?
Duo illi gladii quibus Ecclesia militans
in terris præliari debet usque in finem,
contra omnes inimicos Christi J E S U,
sunt suprema potestas Ecclesiastica,
qui in unico visibili Capite summo
Christi in terris Vicario principaliter
residet: & cui omnes omnino Chri-
stiani, jure divino, subjecere sese in
spiritualibus debent; sicut membra
Capiti, sicut oves & Agni Pastori;
sicut Discipuli Magistro, sicut Filii
Patri communi omnium fidelium:
quem ipse Christus Deus-Homo supra
omnes suos fratres constituit, ut sit om-
nium Princeps, Dux, Judex, mode-
rator, & omnes confirmet in fide &
pietate, ac in omnibus quæ ad salutem
Æternam spectant; atque omnes se-
cum introducat in regnum Dei: tan-
quam Cœlorum Janitor, & claviger
Civitatis Dei, in quam nullus ingre-

dietur, nisi per potestatem illam divinam Beato Petro, & successoribus ejus, usque ad finem mundi collatam; contra quam portæ inferi, error & iniqitas non prævalebunt.

Hic est gladius spiritus, ex ore Verbi Dei Incarnati procedens, penetrabilius omni gladio ancipi. Gladius brachii Altissimi, Dei exercitum, quo percutiet omnes gentes, & duplii contritione conteret eos qui ad fidem convertentur.

Alter gladius, Ecclesiæ militanti, à Rege Regum Deo-Homine datus; est gladius brachii Principum Christianorum, quorum potestas est à Deo: & quia quæ à Deo sunt ordinata sunt ad gloriam Nominis J e s u, & ad salutem fidelium in Ecclesiæ militante: in navi Petri militantium pro gloriâ Crucis Christi, gladius ille potestatis Principum Christianorum, semper unitus esse debet primo & principali gladio, spiritus Domini Dei exercitum; qui omnia omnino Ecclesiæ suæ militantis membra, vult esse unita visibili suo Capiti, usque ad consummationem Belli Sacri, usque ad finem mundi.

Sic duo illi gladii debitâ proportione uniti, prout sunt ordinati, & dati à Christo Deo-Homine, cui data est à Patre omnis potestas in Cœlo & in terra, sunt necessarii, & sufficientes ad propagationem fidei in gentibus, ad conservationem utriusque status Ecclesiastici, & laïci, ad tranquillitatem bonorum, ad terrorem & contritionem malorum: uno verbo ad sanctificationem, & salutem omnium electorum, à Deo, uno, trino, in Christo J e s u, primogenito prædestinorum ad vitam æternam.

Hic tandem eft finis primarius ultimus, summus Belli Sacri, & totius Ecclesiæ militantis, à Deo exercituum Christo J e s u Rege Regum, sicut castrorum acies ordinatae: per duos illos gladios, ad hunc unicum finem, in quo, omnes renati Sacro Baptismate uniti, per Sacramentum Eucharisticum, perfectæ unitatis vinculum, & Christianæ charitatis alimento, in æternum unum erunt regnum; Deo, uni, trino, per Christum consecratum: cuius regni gloriosi Beati omnium bonorum desiderabilem

rabilium aggregatione perfectissimi,
nullus erit finis.

§. II.

*Obligatio ad Bellum Sacrum, omnibus
Christianis communis.*

EX ordinatione, & fine Belli Sacri, ab ipso Christo indicti, contra Dei veri inimicos: certissimum manet, omnes omnino Christianos, id est, Christi IESU milites, sub Divino illo Imperatore, & constituto, per ipsum Vicario suo in terris, vocatos, ad Bellum Sacrum; teneri militare militiam bonam, unumquemque in suo ordine: quae enim a Deo sunt ordinata sunt, per media convenientia, ad finem perfectum; ad Divinam gloriam, & vitam aeternam, electorum in Christo IESU; propter quos omnia operatus est Deus optimus, maximus, omnipotens, unus, trinus. Cum ergo Ecclesia militans sit a Deo, sicut castrorum acies ordinata; non una eademque est singulorum qui Ecclesiam componunt fidelium obli-

P

gatio, sed diversa in diversis. Vidi-
mus in hac prima parte Belli Sacri
Pontificem maximum, cum sit totius
Ecclesiæ militantis caput unicum vi-
sibile; & universalis Christi in terris
Vicarius, atque omnium omnino
Christianorum Pater communis, ma-
ximam habere obligationem ad Bel-
lum Sacrum; & hanc curam esse ve-
lut hereditariam Romanorum Ponti-
ficum: qui omnes Christianos, ubique
in terris degentes suas esse oves, vel
suos agnos cognoscunt, & verò con-
stat ex dictis, quam egregiè, quam
paterno affectu, quanta sollicitudine
omnium Ecclesiarum, huic suo mu-
neri, coram Deo, & hominibus sa-
tisfacere, modis omnibus conati sint,
omnes Pontifices maximi in tempore
opportuno, ad illud opus intenti. Totus
Christianus orbis testis est, quanto zelo
Innocentius XI. quem Deus singula-
ri suâ providentiâ his temporibus, Ec-
clesiam suam regere voluit; in hoc ar-
duum opus, totis viribus impensè in-
cumbat; omnes Reges, & Principes
Christianos, per Christi viscera, ad
auxilium ferendum orando, obsecran-

do, atque obtestando. Omnes Christi fideles per universale Jubilæum adhortando; & ipse met Ecclesiasticum Ærarium, in sumptus Belli Sacri, exhauiendo: utinam omnes Principes tam Ecclesiastici, quam sacerdotes, tanti Pastoris exempla imitentur, & paterna monita; atque adhortationes citius exaudiant, sicut tenentur. Dixi & iterum affirmo: sicut tenetur, cum enim Deus exercituum, dederit illis gladium suum corporale, id est, potestatem Regalem; non ad destructionem, sed ad ædificationem totius Ecclesiæ suæ militantis; certum est illos in conscientia teneri, præcipue, tanquam potentiores, Deo servire, & ejus Ecclesiæ periclitanti succurrere; sicut Reges & Principes Christianos, & Catholicos decet. Cum enim sint præcipua & præcellentia Ecclesiæ membra, illam juvare debent bonis, armis, & viribus suis, sicut fecerunt primi illi Herœs Christiani, quorum elogia audimus, & quorum memoria in benedictione est apud omnes: illorum autem glorioſissima Nomina scripta sunt in libro vitae. Si qua ergo consolatio

P 2

in Christo J E S U ; si quod solatium charitatis universalis , & Christianis Regibus ac Principibus dignæ ; si qua Societas Catholica in ipso Verbo Incarnato Deo-Homine , omnium hominum , maximè fidelium Salvatorem , qui in se uno omnes electos colligit ut illos secum Deo , uni , trino , in regnum æternum offerat ; si qua viscera misericordiæ Regalis secundum Evangelium legis gratiæ , & Regis gloriæ ejusdem Christi J E S U : quem omnes Christiani adorare debent in Spiritu Sancti amoris & veritate fidei Orthodoxæ : Impleant magni illi Reges , & potentes magna sua nomina , & illustres titulos ; æmulentur Majorum suorum gloriofissima exempla : & novis factis magnanimis , totum impleant orbem : ut sciānt gentes , quia Deus omnipotens , est Deus Christianorum & non est alius : sic impleant gaudium Regis Regum Christi J E S U : à quo abundantioribus gratiæ suæ , & gloriæ bonis cumulabuntur in perpetuas Æternitates.

Quis mihi dabit , ut hæc Christiani animi sensa , desideria , vota , impri-

mam, augeam, perficiam in cordibus omnium Regum, & Principum: qui hoc Nomine Christiano præ omnibus titulis gloriantur? ipsos omnes testes & judices, etiam in propriâ causa esse non renuo; justum de se ipsis judicium ferant. Quid potest Nomini illorum gloriosius, familiæ suæ utilius, populorum suorum saluti desiderabilius, & Deo, cujus sunt visibiles in terris imagines, esse acceptius? igitur ab omnium Domino, supra omnium capita exaltati, nihil ducant, inter Regum animi ornamenta, præclarus, zelo majoris gloriæ Sanctissimæ Triadis, dilatationis regni Christi I e s u, propagationis Ecclesiæ Sanctæ, & optimæ Matris omnium fidelium; zelo Divini honoris, & justitiae ac charitatis Christianæ: in hoc serviant magni Reges Deo maximo, quod non possunt facere nisi Reges magni. Nihil possunt ad absolutam Nominis sui laudem, & gloriæ coronam, atque ad omnium qui illos verè diligunt, & honorant, ut præcellentes in omnibus, perfectam lætitiam in terris agere efficacius; nec sibi in Cœlo majora conservatæ, pro-

pugnatæ, & propugnatæ, Religionis
trophæa statuere, & stabilire, ad per-
petuam ipsorum felicitatem: in sinu
Beatissimæ, & Augustissimæ Triadis
consequendam.

Nihil ergo diligentius cavendum
Regibus & Principibus Christianis:
quam ne tantæ gloriæ coronam à Deo
optimo illis nunc oblatam, sibi è
manibus eripi sinant à quolibet, &
cujuscumque boni temporalis, aut
commodi specie, vel spe vana; quæ sum-
mi boni quo se ipsos privarent, compa-
ratione, nihil est nisi fumus, & umbra:
cogitationes enim hominum timidæ,
non possunt veram Christianorum Re-
gum, & Principum gloriam & felici-
tatem, ne quidem in tempore stabilire,
ne dum in Æternitate. Vani enim sunt
omnes homines, in quibus non subest
scientia Dei, qui habitat in Cœlis; irri-
debit eos, & Dominus subsannabit eos;
non est sapientia, non est potentia, non
est consilium contra Dominum, qui
dissipavit omnia consilia Achitophel,
ut eriperet virum secundùm cor suum,
de manibus persequentium illum ini-
què: ille idem manens semper vigi-

lat in salutem eorum ; qui fidem , & fiduciam suam in illius singulari auxilio , & in bonitate , ac justitiâ causæ suæ fixam & stabilitam habent. Sic Deus omnipotens , dissipabit , destruet callida & iniqua consilia dicentium tenebras lucem , & lucem tenebras. Deponet potentes de Sede , & exaltabit humiles corde ; qui spem suam nunquam mutant ab eo. Qui Divinæ ejus gloriæ , Ecclesiæ militantis bono , & publicæ orbis Christiani saluti omnia sua privata commoda , litant , dicant , & sacrificant ; hi sunt heroës Christiani , Reges Æternitatis , heredes Dei , coheredes Regis gloriae Christi JESU , cujus regni non erit finis.

Quod dictum est hic de obligatione communi omnibus Regibus & Principibus Christianis & Catholicis , extendendum est ad omnes Principes qui se se Christianos dicunt : cum igitur etiam Principes accatholici , & Ætherodoxi , qui ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ miserè , per prædecessorum suorum schisma avulsi sunt : nihilominus se in fide Christi stabiles esse protestentur : procul dubio tenentur etiam jun-

gere arma sua armis Principum Catholicon, in hoc Bello Sacro; quod probatur, imò demonstratur tribus his argumentis.

Prima ratio est, quia profitentur se verè esse Christianos, renatos in Christo; secundum formam Baptismi à Christo instituti. Ergo tenentur in communi totius Christianitatis periculo, contra sævissimum, potentissimum, & communem hostem Christianorum conjungere arma nobiscum in causa communi: qui enim non conatur viriliter hostem communem, totis viribus Ecclesiam Christianam, oppugnantem, vi repellere, si Christianus est; gravissimè peccat, in Christum, in Ecclesiam, & in animam suam; & est reus omnium malorum, quæ potuerat, & debebat avertere, ex propria professione.

Secundò: Protestantes Principes, & omnes illis adhærentes, propalam prædicant, se esse à Deo, & Christo, electos, ut Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reformatores; & quamvis non sit illorum reformare Romanam Ecclesiam, & confirmare in fide, & San-

Etis moribus Christi in terris Vicarium, à quo sunt omnes confirmandi: secundum Christi oraculum, cæterum operibus impleant, quod tam magnificis verbis promittunt: totis ergo viribus, armis, opibus usque ad sanguinis, pro gloriâ Christi profusionem, communem Christiani Nominis hostem, undique aggrediantur. Sibi veram gloriam propagatorum fidei comparent, potentissimum Ecclesiæ Christianæ & Catholicæ inimicum conterendo, jungant sese armis, Christianissimi & Catholicæ Imperatoris pro gloria Crucis, Christi; & sperent à Deo optimo gratiam, qua errorem suum agnoscentes, redeant ad Gremium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; à qua per summum sce-
lus avulsi sunt.

Tertio: Nisi jungant se armis Catholicorum in hoc Bello Sacro, contra communem omnium Christianorum hostem; timere debent, ne Deus ipsos justo suo judicio tradat in manus inimorum suorum: & qui se ab obedientiâ summi Christi Vicarii, scandaloso schismate, & manifesta rebellione separaverunt; tandem sicut Græ-

cis schismaticis accidit sub infami Ma-
hometis tyrannide gementes, ulti-
mam suam ruinam, perpetuis & ama-
rissimis, sed seris lacrymis defleant:
non solùm ob ignominiosam corpo-
rum servitutem, sed cum æternâ
animatorum suarum, in Christi Sangui-
ne renatarum pernicie & damnatione.
Ut ergo avertat Deus, ab illis, sum-
mum illud malum: juvent armis, &
opibus suis, Christianorum Impera-
torem, in hoc Bello Sacro, contra
communem hostem Christiani Nomi-
nis; & seriò apud se cogitent quàm
utilius, gloriosius, & jucundius futu-
rum sit iis, qui Christiano gloriantur
Nomine, se Christi Vicario, & Chri-
stianissimo, Justo & Pio Imperatori,
conjunctis animis, & in communem
hostem armare, quàm perpetuæ ser-
vitutis periculo, summo Christi ini-
mico, se & suam posteritatem expo-
nere. Certè non possum in animum
inducere, ullum esse inter Principes
protestantes, qui non mallet in Ro-
manâ Ecclesiâ, ejus Sacramentis mu-
nitus, mori; quàm in Mahometi nefâ-
riâ sectâ circumcisus, animam efflare:

Si bene, & secundum rei veritatem judicavi: Quare ergo illis magis Turca quam Papa placet, ut protestati sunt primi ex illis, qui se ab Ecclesiâ Romanâ separaverunt? cur non potius totis viribus juvent Christianissimum Imperatorem, & summum Christi in terris Vicarium; quam Antichristi præcursorum nefarium? Ipsorum fidem, & conscientiam appello in judicium: vel me, vel antecessores suos reprobent? illos enim facilius excuso, quos salvare desiderio desidero. Ego enim Ecclesiæ Romanæ Sacerdos, quotidie, in Altari Deo, uni, trino, Agnum Immaculatum J E S U M - C H R I S T U M; quem Sanctus Andreas Apostolus, se omnipotenti Deo quotidie obtulisse testatus est, in holocaustum sacrifico; pro meis, & pro totius mundi peccatis. Specialiter autem pro conversione Principum protestantium; ut tandem ad sinum optimæ Matris redeant: pro quorum conversione, vellem ex animo totum sanguinem effundere. Non facilè adducerer, ut credam ipsorum ministros talem Deo, uni, trino, pro me, & pro

Principibus & Sacerdotibus Ecclesiæ
Romanæ, oblationem, singulis die-
bus, in eodem spiritu facere. Exau-
diat Deus vota, quæ suis inspirat, &
oculos illorum illuminet, ac corda con-
terat, ne obdormiant in erroribus &
peccatis suis. Addo unum, quod for-
tassis à multis hujus mundi sapientibus
irridebitur, ut stolidæ simplicitatis
propositio. Dicam tamen opportunè,
aut importunè, vel ut impertinens,
velut pertinens ad finem intentum. Si
aberro à scopo, saltem quod dicam
verum puto; & protestantes alloquens,
etiam protestor, coram Deo veritatis,
me velle dicere, quod verum judico.
Utinam Deus omnipotens dives in om-
nes qui invocant eum, dedisset mihi,
omnium Sacerdotum minimo, & pau-
perrimo, trecentos aureos milliones
annuos, cum obligatione divinâ, ne
obolum quidem, ex illis Thesauris in
proprios meos, aut meorum usus con-
vertendi: vultis scire ô Principes pro-
testantes, quid ex immensis illis The-
sauris vellem facere? dicam ingenuè
sinceritate Germanicâ, Principibus
Germanis loquendo, & quidem coram

Deo veritatis, ecce non mentior, trifariam dividerem, ingentes illos Thefauros; trecentorum millionum annui census, videlicet primum centenarium millionum aureorum, expenderem in Bellum Sacrum, contra communem hostem Christiani Nominis, abundantiter suppeditando necessaria, omnibus Ducibus, & militibus sub Crucis vexillo præpliantibus.

Secundum centenarium millionum, applicarem in reparationem ac constructionem Templorum, Cœnobiorum, Ecclesiasticorum reddituum: quibus hæretici, infideles, Turcæ, & alii inimici Crucis Christi, Ecclesiam spoliaverunt, per summum sacrilegium. Et ex eodem redditu, Christi pauperibus præsertim honestis & occultis, necessaria præberem: Missionarios Apostolicos ab omni cura temporalium rerum liberarem, & omnia ad viatum, & vestitum requisita, eis abundantiter subministrando, illos expeditos redderem, ut sine impedimentoo, & hospitum onere, Evangelium Christi prædicarent in universo mundo.

Tertium centenarium millionum, dividerem inter Principes terræ, eâ lege, ut subditos suos minus onerarent, mitius & benignius regerent; ac ipsi seriò quotidie mane, sicut faciebat Rex secundum cor Dei, cogitarent se esse mortales, & omnes Reges, Principes ac potentes, post paucos dies regni temporalis, manifestandos esse ante tribunal Regis Regum justissimi judicis; qui justitias judicabit, & sine acceptione personarum reddet unicuique secundum opera ejus. Nullum proindè esse posse effugium, nihilque prodesse homini universum mundum lucrari, animæ verò suæ æternum detrimentum pati, sicut Christus Rex Regum, & Judex omnium omnibus dixit. Ecce in quos usus trecentos illos annuos millions aureorum expendere vellet, minimus Sacerdotum maximi Sacerdotis Dei JESU-CHRISTI; utinam illius Regale effatum, in omnium Regum terræ cordibus, & Principum Ecclesiæ Dei vivi impressum, & altâ mente repositum permaneret, quoniam ipse dixit: *Beatus est magis dare, quam accipere.*

O Verbum Regale! Verbum Eucharisticum! Verbum Theandricum! Verbum Iesu-logum! Verbum Divinum! Verbum Verbi Dei, spirantis amorem Sanctum, Spiritum Deum purum Donum: quoniam omne datum, omne bonum de sursum est; descendens à Deo optimo, Patre omnium hominum; qui ergo habet perfectius Donum Doni, ille Deo omnium bonorum donatori, largitori, liberalissimo dispensatori, magnificensissimo in sanctitate, similior est: quia Verbum Dei Iesu, quod semper habebat in ore suo, loquente ex abundantia cordis optimi, manet in æternum. Ipse dixit: *Beatus est magis dare, quam accipere.* Quod dixit, plenissimè fecit, qui prius cœpit facere, quam docere, bene omnia fecit; qui erat pertransiens benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. Istius maligni spiritus, proprius character, est maxima bona hominibus auferre, rapere, nulli benefacere, omnibus nocere, perdere omnes, circuire sicut Leo rugiens, quærens quem devoret; perpetuum Bellum in Sanctos,

ac Christianos movere; ut per cruentas corporum mortes animarum Christi Sanguine Redemptarum lucretur. Perniciem, ideo ab initio militantis Ecclesiæ inflammavit corda tyrannorum, contra Christianos, qui à tot sæculis persecuti sunt, illo instigatore, omnes qui volunt in Christo Iesu pie vivere. Quis non videat Turcorum Imperatorem, qui se magnum Dominum & Regem Regum superbè jactat, magnum esse instrumentum Principis mundi hujus in maligno positi? Ecce magnus ille præcursor Antichristi, à tot sæculis, Christi Ecclesiam totis viribus oppugnat; ecce sævissimus hostis Christiani Nominis in penetalibus, militantis Ecclesiæ solium erexit; quot Imperia, quot regna, quot urbes Christianis eripuit, in quibus supra ruinas Templorum Dei vivi, profana fana falsi sui Prophetæ erexit: toti orbi Christiano inhiat, insatiabilis illa inferni bellua: quid superstest nisi ut quod reliquum est absorbeat? quid ad hæc Proceres Catholicæ? quid expectamus fideles Ecclesiæ Dei Filii? quid hæremus? quid stamus? quid

quid cunctamur Christiani? quid agimus? aut potius, quid agere non debemus? si verè Christiano Nominē gloriamur? nec in vanum Cruce Christi signati sumus? nunquid magis placet nobis Mahometismus, quam Christianismus, si crudelissimum Christiani Nominis persecutorem, ab uribus & regnis Christi non repellimus? an magis Turca placet quam Papa? & cornutam Mahometismi lunam Soli justitiae Christo J E s u præferimus, & super Crucem exaltamus? an volumus hunc præcursorē Antichristi, excusso Christi, & Ecclesiæ Catholicae suavi jugo, regnare super nos, imò opprimere nos, & tot facere Mahometanos, quot captivos faciet Christianos? nunc mysterium iniquitatis operatur, in mundo malignus ille; sed non est expectanda in otio desidioso, ultima Ecclesiæ militantis desolatio, donec de medio fiat: & reveletur in suo tempore homo ille peccati, filius perditionis, præcellens ille iniquus, ultimus Dux Impiorum; quem Dominus noster J E S U S - C H R I S T U S interficiet spiritu oris sui, & corusca-

Q

tione adventus sui gloriosi.

Omnes igitur verè Christiani Reges, Principes: tam Ecclesiastici quam fœculares; & omnes omnino, ac singuli qui Christiano Nominе glorian-
tur, ac sunt milites Christi; ad Bellum Sacrum vocantur ab Ecclesiâ militante, à Christi in terris Vicario, ab ipso Rege Regum Christo J E S U: ut sub Crucis vexillo, militent militiam bonam, contra inimicos Nominis Christiani, quorum finis interitus. Rogamus autem vos, inquit, Apostolus J E S U, per adventum Domini nostri J E S U - C H R I S T I, ut auferatis malum de medio vestri: pro Christo legatione fungimur, Deo; exhortante per nos, reconciliamini Deo non sint in vobis schismata, & contentiones, diligite invicem, sicut Christus dilexit nos, nemini reddentes malum pro malo, sed vincite in bono malum. Hæc est charitas Christiana: sic Christus dilexit nos. Exemplum & præceptum dedit nobis ut diligamus invicem, sicut & ipse dilexit nos: qui non diligit Deum super omnia & proximum in Deo, sicut seipsum, manet in morte æterna, à qua liberet nos Deus.

§. III.

Varii modi quibus omnes & singuli
Christiaq[ui], ad Bellum Sacrum vo-
cati, suo muneri satisfacere de-
bent: sic ut unusquisque suas par-
tes expleat.

 **U**andoquidem certissimum sit;
omnes & singulos Christianos,
in Christi Sanguine renatos,
Christi esse milites, & ab illo vocari
ad Bellum Sacrum, contra visibiles,
& invisibiles Crucis, Nominis, ac le-
gis ejus hostes: nunc breviter, cla-
rè & solidè, exponendum est, quibus
modis singuli pugnare debeant in hoc
Sacro Bello, Ecclesiæ militantis, con-
tra communem hostem Christiano-
rum: qua in expeditione hæc videntur
observanda.

Primum omnium, sine quo non
potest hoc Bellum contra Turcas habe-
re optatum exitum; est ut Principes
Christiani Sacro foedere uniti, consul-
tant & convenient inter se, sub uno
visibili totius militantis Ecclesiæ Capi-

Q 2

te Romano Pontifice; quo loco, quo tempore, quâ ratione; quibus conditionibus, quibus auxiliis, sub quibus Ducibis terrâ mariquâ, quibus expensis communibus, & singulâribus; quo minori incommodo, & periculo; quo majori emolumento, & compendio; in præsenti rerum statu, tam opportuno; hoc Bellum promoveri expediat, tum ad universale Ecclesiæ bonum, tum ad particulare Principum emolumentum: quæ omnia, & plura alia media congruentia, facilè Deo favente invenientur, si Principes Catholici, sincerè velint, pro viribus suis Turcam oppugnare, & ejus Imperium evertere; det illis omnibus Deus, tam efficacem hanc voluntatem, quâm mihi inspirat.

2. Non soli Principes Catholici Romano Pontifici in aliquo conventu publico, convenienti loco, conjunctis animis, ad hoc Bellum conspirent; sed etiam Principes ipsi protestantes, quorum causa hic non minus agitur, quam Principum Catholicorum: illi ergo omnes cum Romanorum Imperatore se uniant, ut uno impetu, & tem-

pore, simul, diversis in locis sibi magis opportunis, communis inimici urbes oppugnant, Provincias armata manu penetrant; terrorem armorum suorum ubique incutiant.

3. Quia experientia tot saeculorum constat; omnem in debellando huc usque communi omnium Christianorum inimico, constitisse, in divisione, & dissensione diversarum nationum: obvia est concordiae ratio, si quisque, seorsim loco sibi commodiorre hostem invadat, & omnes simul; ut nullibi sit in tuto inimicus omnium & singulorum; & nullus alium nec palam, nec in occulto impedit: & quidquid, singuli Principes Turco adiment, eo ipso jure Belli occupent, sibique vindicent ipso facto.

4. Ut summus Pontifex habeat apud se, tam ex propriis, quam ex oblatione voluntaria Regum, & Principum, Thesaurum magnum auri argenteique, sine quo Bella minimè bellè procedunt, cuius ipsemet pro paternâ, suâ in omnes, & singulos charitate, sit fidelis dispensator illis Principibus, qui magis præmentur, atque illo subsidio

Q 3

confestim eis succurrendo: qua in dispensatione, pro suâ prudentiâ & charitate in omnes, etiam ipsis Principibus protestantibus, in necessitatibus & opportunitatibus opitulabitur, si ipsi in communi causa hoc Bellum cum Catholicis prosequantur.

5. Porrò ne quis Catholicus, vel aca-
tholicus, ditiones Principum eo tem-
pore quo Bellum Sacrum prosequen-
tur, quovis titulo invadat; omni mo-
do cavendum, vi utriusque gladii, spi-
ritualis & corporalis; cum hæc sit es-
sentialis, & fundamentalis conditio,
Sacri foederis, quâ violatâ totum rue-
ret in interitum Christianorum.

6. Plurimùm expediret non solum
Reges & Principes protestantes, qui
Christum confitentur, ad hoc Bellum
contra inimicum communem efficaci-
bus mediis convocare: sed ipsum etiam
potentissimum Turcarum æmulum,
Regem inquam Persarum, arctum
cum illo fœdus, æquis conditionibus
ineundo: sicut factum est, alias, cum
eius prædecessoribus; imò à triginta
quinque annis, vidi Romæ legatum
Regis Persarum, qui Innocentium X.

ad fœdus commune ineundum, contra Turcam excitabat, & quidem oblatis conditionibus, tam honorificis, & fructuosis Orbi Christiano: ut illis auditis, & discussis; summus Pontifex ingemiscens exclamasse dicatur, Deum docere voluisse, per Principem infidelem, ipsos Principes fideles, modum efficacem debellandi communem omnium Christianorum hostem. Porro hæ erant præcipuæ conditiones, aureis Caracteribus, & Persicis litteris in membranâ pergamenâ exaratæ: quas Legatus, me, cum multis aliis præsente, explicavit: nil addo, nil detraho; saltem quantum meminisse possum.

1. Ut Romano Pontifice Auctore, fidei jussore, & sponsore, Principes Christiani fœdere, secum stabilito, Turcam totis viribus terrâ marique aggrederentur: sicut ipse simul conjunctis armis, ingenti cum exercitu, in loco designato invaderet: nec ulli fas esset seorsim cum Turcâ, quavis de causâ, de pace, aut suspensione armorum agere; sed solum omnes simul convenient.

Q 4

2. Cum experientiâ doceat non expedire, ut plures nationes diversæ, variis Principibus subditæ, sub unico Duce militent, in eodem exercitu; oppertere copias in diversa loca dividere, sic ut singuli Principes Christiani, cum suis propriis militibus, loco sibi opportuniore, adoriantur inimicum communem, & quod quisque, quomodocumque, illi eripiet, sibi ut jure Belli justi acquisitum servet in perpetuum.

3. Ut ex oblationibus voluntariis Principum, aliorumque Christianorum, necnon ex propriis Ecclesiæ Thesauris, ingentem auri, & argenti acervum, ad omnem eventum paratum, apud se servaret summus Pontifex: quo parti indigentiori succurret in opportunitatibus, pro sua prudentia & charitate: in quem communne subfidium Rex Persarum, plures aureorum milliones, præmisurum se pollicebatur; nec tamen sibi quidquam ex illâ pecuniâ deposcere.

4. Se non solum durante fœdere, sed & in posterum daturum, & ultrò dare, libertatem in omnibus suis di-

tionibus, prædicandi legem Christianam; & plenam facultatem suis subditis illam amplectendi. Quid bono temporali, & spirituali Ecclesiæ Catholicæ, & singulorum Principum, ac populorum Christianorum utilius, jucundius, & honorificentius, istis conditionibus?

Verùm proh dolor! proh pudor! proh immane scelus! discordiarum inter Principes Catholicos furiosus ventus, omnia illa consilia dissipavit, coactusque est Legatus re infectâ discedere.

Usque adeò verum est, dissensionem Principum Christianorum, esse propagationem Imperii Mahometanorum.

Porrò ut ad primarium propositum, unde nos abstraxit discordia Principum, redeamus.

7. Septimum & efficacissimum medium ad felicem Belli Sacri exitum, à Dei bonitate & singulari auxilio obtinendum; consistit in reformatione morum, in extirpatione vitiorum, scelerum, iniquitatum, scandalorum, quibus Christiani Divinam justitiam pro-

vocant ad vindictam. Sicut enim contingebat Israëlitis, sic accidit Christianis, toties illi vincebatur ab inimicis, quoties ipsorum delicta Deum contra se excitabant; sic in præcedentibus Bellis Christianorum, constat flagitia & scandala quæ passim dominabantur in exercitibus fidelium, Dei iram accendisse contra scelestos; quippe effrenata vivendi libertas, luxus, luxuriæ, ebrietates, sacrilegia, contentiones, & enormiora flagitia, quæ calamus horret scribere; ipsos fidei inimicos excitabant, ad blasphemandum Deum Christianorum: sicut ergo si Deus sit pro nobis nullus prævalere potest contra nos; sic ex adverso, si criminibus novis, Deum irritemus contra nos, quis erit pro nobis? Ne ergo in ipso Bello Sacro, Bello appetamus Deum ipsum: cessent peccata & scandala, tam in castris, quam in urbibus; in Aulis, & in ipsis Templis: cessabunt Dei flagella. Faciamus fructus dignos pœnitentiæ, & obtinebimus à Deo plenum fructum sacræ militiæ.

8. Sit ergo hoc postremum, & po-

tentissimum medium ad felicem successum Belli Sacri; imò totius cursus vitæ nostræ mortalis, quæ militia est super terram: ut magis satagamus per bona opera, per exercitia pietatis Christianæ, in uno spiritu fidei Catholicæ, & dilectionis Regalis Christi J e s u, omnium Christianorum Imperatoris, armatis precibus, pro gloria Crucis, præliari prælia Domini Dei nostri: & sicut Moyse orante expansis brachiis, Josuë vincebat Amalec; sic summo Christi Vicario offerente Deo exercituum Agnum Immaculatum, pro exercitu fidelium, dabit Deus victoriæ de inimicis nostris.

Cùm igitur hoc Bellum Sacrum, commune sit omnibus Christi nomen invocantibus, Duces nostri & milites, Sacerdotes, & populi, qui aliis pugnantibus manere debent in Civitatibus: omnes in uno spiritu imitentur Machabæos; Numinis opem, Sanctissimæ Trinitatis magnum auxilium imploremus nostris precibus humillimis, supplicationibus, jejunis, elemosynis, bonis operibus, iteratis Sacrificiis specialibus, ad hunc finem assiduè nobis

conciliemus Dei benignitatem, ut faciat Omnipotens in suis & per suos, quod nullus facere potest nisi ipsem, qui facit mirabilia magna solus.

Ecce quò tandem spectant, & unicè tendunt oracula Prophetarum, prædicationes Apostolorum, sollicitudines & exhortationes summorum Pontificum: Sacrificia quotidiana Sacerdotum, preces, petitiones, obsecrations & orationes omnium fidelium; omnesque conatus totius Ecclesiæ militantis. Nimirum illa Sancta J E S U-
C H R I S T I omnium omnino hominum Salvatoris sponsa fidelissima, sponsa suo in omnibus unita, ejusq; spiritu, charitate universali & zelo pro omnium salute inflammata, omnes suos filios ad Bellum Sacrum, tantis clamoribus & per universale jubilæum convocavit, ut omnes gentes paganorum, Turcarum, infidelium & omnium inimicorum Crucis Christi, Evangelium gratiæ & salutis æternæ recipiant, Deum unum, trinum, omnium Creatorem, & **J E S U M - C H R I S T U M** omnium Redemptorem, in Spiritu Sancti timoris ac amoris, & veritate fidei di-

vinæ adorantes , nobiscum salutem
Æternam consequantur.

O Divina Trinitas , Sancta & una
Deitas! omnes qui in Sanguine Chri-
sti , per invocationem Sanctissimi tui
Nominis renati sumus , infinitam bo-
nitatem tuam supplices depræcamur :
per Crucem Domini nostri J E s u-
C H R I S T I Sanguine ejus pretiosissi-
mo tintam: per Sacratissimas Corpo-
ris ejus glorioſi cicatrices ; quas tibi
ostendit , ſemper vivens ad interpel-
landum pro nobis: ac denique per quo-
tidianam oblationem Eucharifticam ,
Sacrificii in cruenti ; omnium ejus mi-
rabilium maximi: ut omnes inimicos
fidei dupli contritione contritos ;
Sanctæ tuæ Ecclesiæ militanti in ter-
ris: ſic aggregare digneris , ut cum tuis
fidelibus in tua Ecclesia triumphante
regnent glorioſi in Cœlis.



§. I V.

Potentissimum Incitamentum ad Sacram militiam, est seria consideratio ultimi Adventus Regis Regum, JESU-CHRISTI Domini nostri, supremi Iudicis vivorum, & mortuorum, in die extremi, & universalis Iudicii.



Æterum, licet omnia quæ allata sunt motiva ad Bellum Sacrum, contra inimicos Crucis Christi, omnes Christi milites in ejus Sanguine renatos, ejus Corpore & Sanguine munitos & roboratos potenter impellere debeant: nullum tamen est efficacius incitamentum, quam seria & quotidiana recordatio ultimi Adventus summi Imperatoris nostri Regis Regum, JESU-CHRISTI, Domini & judicis nostri: qui venturus est cum Angelis suis in extremo iudicio; ut reddat unicuique secundum merita propria. Hic erit dies ultimus Belli Sacri Ecclesiæ militantis contra

hostes visibiles, & invisibiles Nominis Christiani. Hic erit dies dierum omnium epilogus, terribilium terribilissimum, orbis totius excidium; dies tubæ, Buccinæ, Clangoris, tonitruorum, fulguris coruscantis Dei exercituum, venientis in nubibus Cœli cum potestate magna, virtute, & maiestate summa: qualem decet omnium, supremum judicem & Regem Æternæ gloriæ: cuius regni non erit finis.

Hoc Universale Judicium statim post peccatum primi hominis dictum est ab irato Numine pronunciata mortis judicii terribilis & supplicii æterni sententia, in omnes filios peccati & operatores iniquitatis. Hoc formidandum judicium promulgatum est ab initio in lege naturæ per Sanctos Patriarchas, prænuntiatum est per omnes Sanctos Prophetas, qui de duplice Christi adventu, ad nos, & contra nos vaticinati sunt: prædictum est ab Angelis Dei; prædicatum est in univerlo mundo ab Apostolis & Evangelistis: sicut acceperant in mandatis, & audierant ab ipsomet Christo Domino, venturo judice: & perpetuo

prædicatore sui ultimi judicii: quippe qui non solum vivens inter mortales, sed etiam post ascensionem suam in Cœlos, diem hunc extremum, glorijs sui adventus in sua Apocalypsi revelavit Ecclesiæ suæ militanti. Quem tamen diem omnibus ignotum esse voluit, ut omnes & singuli Christiani, singulis diebus militiae suæ mortalis super terram, semper expectantes Dominum suum, vigilarent, orarent, laborent, rebus suis prospicerent; & sic pugnarent contra inimicos animarum suarum, ut illis debellatis mererentur accipere coronam justitiæ, quam redet in illa die justus Judex, omnibus qui expectant ac diligunt adventum ejus, seseque quotidie præparant ad illud universale judicium, Domini sui, qui inquirentibus se remunerator erit. Ideo, inquit, Apostolus J E S U - C H R I S T I glorificati ad dexteram Patris, *Epist. ad Titum Cap. 2.* Apparuit gratia & benignitas Salvatoris nostri Dei, ut abnegantes impietatem & sœcularia desideria sobriè, justè, & piè vivamus in hoc sœculo expectantes beatam spem, & adventum gloriæ

gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri
J E S U - C H R I S T I, qui dedit semet-
 ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab
 omni iniquitate, & mundaret populum
 sibi acceptabilem, sectatorem bono-
 rum operum. Quapropter, ait Prin-
 ceps Apostolorum Petrus, in 2. sua
 Canonica c. 1. scribens ad omnes fide-
 les dispersos per universum mundum:
 Fratres magis fatagite ut per bona ope-
 ra certam vestram vocationem & ele-
 ctionem faciatis: hæc enim facientes
 non peccabitis aliquando. Sic enim
 abundanter ministrabitur vobis introi-
 tus in æternum Regnum Domini no-
 stri **J E S U - C H R I S T I**: & iterum,
 vigilantissimus ille totius Dominici
 gregis Pastor, omnium fidelium, exci-
 tans in commonitione sinceram men-
 tem, hortatur eosdem, ut sint memo-
 re eorum quæ prædicti, verborum,
 à Sanctis Prophetis, & Apostolis,
 præceptorum, de Domini Adventu,
 semper illum expectantes. Non tar-
 „ dat, inquit, Dominus promissionem
 „ suam, sicut quidam existimant: pa-
 „ tienter agit propter vos, nolens ali-
 „ quos perire, sed omnes ad pœnitent-

R

„tiam reverti. Adveniet autem dies
„Domini ut fur, in quo Cœli magno
„impetu transient, elementa verò ca-
„lore solventur; terra autem, & quæ
„in ipsa sunt opera exurentur; cùm
„igitur hæc omnia dissolvenda sint,
„quales opportet vos esse in sanctis
„conversationibus, & pietatibus, ex-
„pectantes, & properantes in Ad-
„ventum diei Domini, per quem
„Cœli ardentes solventur, & elemen-
„ta ignis ardore tabescunt; novos ve-
„rò Cœlos, & novam terram secun-
„dum promissa ejus expectamus, in
„quibus justitia habitat, propter quod
„charissimi hæc expectantes, satagite
„immaculati, & inviolati, ei inveni-
„ri in pace. Vos igitur Fratres præ-
„scientes custodite, ne insipientium
„errore traducti, excidatis à propria
„firmitate. Crescite verò in gratia &
„in cognitione Domini nostri J E S U-
„C H R I S T I; ipsi gloria & nunc, &
„in diem Æternitatis. Amen. Hæc
sunt ultima verba scripta primi Christi
Vicarii in terris, omnes Christianos
confirmantis in fide, in Dei timore, &
amore, atque in expectatione ultimi

diei gloriōsi ejus Adventus.

Magnus Indiarum Apostolus Xaverius, qui tot Reges & Principes, ad fidem adduxit Prædicationibus, ac Miraculis suis, & eminenti vitæ Sanctimoniam, nil magis commendabat potentioribus hujus sæculi, quam frequenter & serio cogitare de die illa tremenda, cum omnium Dominus ad judicandum venerit, ut sine acceptione Personarum reddat unicuique secundum merita sua; ideo Regem Lusitaniae Joannem III. hortabatur per litteras & per amicos, ut memorandam illam Domini sententiam semper in mente haberet, & ejus à Patre lumen intelligentiam humiliter peteret, *Lucæ 9. & Math. 10.* expressam: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua; filius enim hominis venturus est, in gloriâ Patris sui, cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundum opera sua.

Valdè notandum est Christum Dominum nostrum cursum Prædicatio-

R 2

nis Evangelii sui incepisse, à publicatio-
næ pœnitentiæ, dicens: Pœnitentiam
agite; & absolvisse, per prædictio-
nem sui ultimi judicij: nec hoc solum,
sed idem Dominus noster exaltatus ad
dexteram Patris, diu post admirabi-
lēm suam Ascensionem, promulgari
voluit extremum judicium per An-
gelum suum, qui apparuit dilecto
Discipulo, eiique revelavit abscondita
à constitutione mundi, scripta in Apo-
calypsi JESU-CHRISTI, quam de-
dit illi Deus palam facere servis suis,
quæ opportet fieri citò. Beatus, inquit,
qui legit, & audit verba Prophetiæ
hujus, & servat ea, quæ in ea scripta
sunt: tempus enim propè est. Scriptus
est hic liber Secretorum Dei, à San-
cto Joanne Evangelistâ relegato ab
Imperatore, in insulam Pathmos pro-
pter Verbum Dei, anno sexagesimo
primo post Ascensionem Christi: est
que ut observaverunt Sancti Patres,
quasi novum Evangelium Regis Glo-
riæ seu JESU-CHRISTI glorificati,
in quo mysteria regni ejus, id est, Ec-
clesiæ militantis, permansuræ usque
ad finem mundi revelata sunt. Porro

statim in exordio ejus libri mirabilis, de futuro extremo judicio, atque adventu gloriose J E S U - C H R I S T I loquitur Evangelista. Gratia, inquit, vobis & Pax ab eo qui est, & qui erat & qui venturus est à J E S U - C H R I S T O ; qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ; qui dilexit nos, & lavavit nos à peccatis nostris, in Sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo: ipsi gloria & imperium, in sæcula sæculorum, Amen. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen. Ego sum Alpha & Omega, Principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est & qui erat, & qui Venturus est omnipotens.* Apocal. Cap. 1. & ultimo capite istius libri revelationis extremi judicii, & eorum quæ ventura sunt toto tempore Belli Sacri Ecclesiæ militantis contra inimicos Crucis Christi: His verbis concludit prædictionem, tempus propè est; qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc; &

R 3

qui justus est justificetur adhuc; & Sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est reddere unicuique secundùm opera ejus. Ego sum Alpha, & Omega, primus & novissimus, Principium, & finis; Beati qui lavant Stolas suas in Sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem. Foris canes, & benefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis; ego sum radix & germen David, stella splendida & matutina, & Spiritus & sponsa dicunt veni, & qui audit dicat, veni, & qui sitit veniat; & qui vult accipiat aquam vitæ gratis: contestor enim omni audienti verba Prophetiæ hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate Sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit, qui testimonium perhibet istorum, etiam venio citò.

Amen. Veni Domine J E S U. Gratia
Domini nostri J E S U - C H R I S T I,
cum omnibus vobis. Amen.

§. V.

Ecce consummatio Belli Sacri ac
finis mundi per gloriosum adven-
tum supremi Judicis omnium, atque
Regis Regum & Imperatoris nostri
Dei-Hominis omnipotentis: qui ven-
turus est cum summa potestate, virtu-
te, Majestate & gloriâ, reddere uni-
cuique secundum merita sua. Hujus
ergo ultimi adventus ac extremi judi-
cii prædicatio: est Belli Sacri promo-
tio, Christianorum Principum conjun-
ctio, populorum subjectio, peccato-
rum conversio, justorum conservatio,
totius mundi reformatio; sanctificatio
& salvatio. Ratio est fundata in sum-
ma utilitate considerationis veritatum
æternarum; præsertim earum quæ
voluntatem hominis mortalis, ad Dei
timorem, qui est initium sapientiæ,
efficacius movent; qualis est feria & fre-
quens cogitatio extremi judicii sum-
mi omnium judicis; qui reddet uni-

R 4

cuique secundum merita sua : hæc enim consideratio excitat Dei timorem, qui autem timet Deum, declinat à malo maximo, quod est peccatum, & facit bonum, Dei mandata servando ; quorum primum & maximum : est diligere Deum super omnia; & secundum diligere proximum propter Deum sicut seipsum. In quibus duobus continetur omnis vera iustitia, lex omnis, & Prophetarum oracula ; sicut dixit Dominus noster. Nihil ergo est utilius homini Christiano, quam perpetua recordatio gloriosi adventus summi omnium Judicis, in suo extremo judicio.

Per hanc considerationem salutari Dei timore concusse sunt columnæ Ecclesiæ Dei vivi, viri Apostolici; sanctitate & sapientiâ toto orbe Christiano clarissimi: inter maximos Ecclesiæ Doctores, Sanctus Hieronymus, perpetuum suum timorem extremi judicii, his verbis exprimit: Quoties-
 „ cumque diem illum considero, toto
 „ corpore contremisco : sive enim
 „ comedo, sive bibo, sive aliquid
 „ aliud facio, semper videtur mihi

„ tuba illa terribilis, sonare in auribus
 „ meis, surgite mortui, venite ad ju-
 „ dicium.

Hoc sancto timore salubriter territi,
 Sanctus Hilarius, Sanctus Athanasius,
 Sanctus Augustinus, Gregorius ma-
 gnus, Basilius magnus, Sanctus Chryso-
 stomus, Antonius magnus, Sanctus Hi-
 larion, divus Bernardus, Thomas Ange-
 licus, & plurimi alii eminentis sancti-
 tatis & sapientiae Viri: Apostolicis mo-
 nitis, immo ipsiusmet Christi divina in-
 stitutio[n]e formati: cum timore, &
 amore perpetuo salutem suam opera-
 bantur: semper vigilantes & orantes,
 ne in vacuum gratiam Dei acciperent:
 fideliter & sine intermissione, in suam
 & proximorum sanctificationem, cum
 eadem Dei gratia impensè incumben-
 tes; ut veniens Dominus & judex om-
 nium, illos inveniret vigilantes & pa-
 ratos occurrere ei, expectantes & di-
 ligentes adventum ejus.

Tantis ergo exemplis excitati, tam
 salutaribus Sanctorum Patriarcharum,
 Prophetarum, Apostolorum, Ange-
 lorum, Ecclesiæ Doctorum; atque
 ipsiusmet Verbi Incarnati exhortatio-

nibus, ejusdemque sponsæ monitis per-
petuis impulsis, tantis periculis undi-
que circumdati, de die illa ac hora, ac
momento ultimo à quo pendet Æter-
nitas nostra, vel poenæ, vel gloriæ tam
incerti, inter timorem & spem flu-
ctuantes de nostro fine ignari, cum
timore, & amore Dei; cum vigilan-
tia & sollicitudine, cum Dei gratia sa-
tagamus, per fugam peccati, & per
bona opera parati, semper expectare
adventum Domini nostri **J E S U**-
CHRISTI, omnium Judicis æquissi-
mi, ante cujus tribunal omnes nos ma-
nifestari opportet, quâ horâ non pu-
tamus, ut ab eo judicemur, à quo
unusquisque recipiet secundum pro-
pria merita, sive bonum, sive malum.

Porrò, de hoc extremo & universali
Regis Regum Judicis omnium, Dei-
Hominis **J E S U - C H R I S T I**, gloriosi
judicio, tria hæc semper in mente
habenda, serio recogitanda, & in cor-
de, altè imprimenda sunt? 1. quid sit?
2. cur futurum sit? 3. quis erit ulti-
mus ejus actus?

1. Quantum ad primum, extremum
illud ac universale judicium, est per-

fecta determinatio intellectus, & voluntatis Dei-Hominis J E S U - C H R I S T I , supremi omnium Judicis à Patre constituti, cum plenitudine potestatis summæ; qui in die gloriosi adventus sui, congregabit omnes Angelos & homines ante thronum Majestatis suæ, & omnium conscientiis propalam manifestatis, quidquid latebat in tenebris cordium, in lumine veritatis ante omnium oculos revelando , sine ulla acceptione personarum: unumquemque judicando, reddet unicuique secundum merita ejus, bona æterna bonis; coronam justitiæ pro consummata in timore & amore Dei justitiâ: mala æterna malis, poenam suæ iniquitatis, pro finali impoenitentia.

2. Quoad secundum: omnes Angelos ac homines bonos & malos, in loco & in die, soli Deo noto manifestari opportet ante Tribunal Christi propter tria. 1. Adconsummationem majoris gloriæ Domini nostri J E S U - C H R I S T I : in maximo illo Amphitheatro super omnes exaltandi , ut in Nomine JESU, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum :

& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Crucifixus, in gloria est Dei Patris, ad ejus dexteram sedens, tanquam illi consubstantialis secundum divinitatem, qui per infinitam suam charitatem erga homines omnes, exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, pro omnium salute: & sicut Rex gratiae ac gloriae, sanctissimus, aequissimus, sapientissimus, & optimus ab omnibus omnino adorandus. 2. Fiet illa manifestatio, ad cumulum consolationis, gaudii, & glorificationis justorum, qui stantes ad Regis sui dextram audiunt ex ipsius ore theandrico verba Eucharistica omnis gratiae, dulcedinis, & jubilationis plenissima. 3. Fiet illud judicium, ad aeternam confusionem impiorum omnium, qui ex ore irati Numinis audient sententiam aeternae sue reprobationis.

3. Ad tertium: ultimus actus, id est, finis extremi, & universalis judicii, continebit duo illa decreta immutabilia, duas illas sententias decretorias Beatae Aeternitatis justorum; & horrendae aeternitatis impiorum; illis enim

qui à dextris Christi erunt : ipsemet omnium Judex , Rex æternæ gloriae dicet: Venite benedicti Patris mei ; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Iis autem , qui ad sinistram erunt, impiis omnibus dicet: Discedite à me maledicti in ignem æternum: qui paratus est Diabolo , & Angelis ejus. Quibus duobus decretis immutabiliter prolati, fiet æterna separatio bonorum à malis: & ibunt hi in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam. Inquit , ipsemet Christus omnium Judex Venite benedicti, quid desiderabilius illo verbo? ite maledicti , quid terribilius? Qui hæc legit, aut audit & credit, nil ita timeat quam illud tremendum, ite maledicti: nil ita desideret, quam illud optatissimum verbum Verbi Dei Incarnati & glorificati: Venite benedicti. Timor & amor Dei , sunt tota salus Christiani. Beatus, qui sic timet à judiciis justissimi judicis sui: ut diligat adventum justi: qui reddet unicuique secundum opera ejus: ô Sanctissima Trinitas ! timorem & amorem tui Nominis fac nos habere perpetuum ; ut Deum. Homi-

nem quem Redemptorem nobis propitium esse suppliciter petimus: venturum quoque judicem securi videamus! Domine J E S U - C H R I S T E Rex Regum, Fili Dei unigenite, qui de sinu Patris, usque ad nos descendisti; & Sanguinem tuum pretiosum, in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur: ut in die judicii ad dexteram tuam audi-
re mereamur, venite benedicti.

Ad hunc adventum præparare sese, quotidie debent omnes Christiani, per exercitia militaria Christianæ pietatis, ad omnia utilis; ad quam magnus Dux exercituum, Regis Regum hortatur omnes quidem fideles, præsertim vero illos quos posuit Deus in Ecclesia sua militante; ut populos regant; ut sunt Episcopi, Reges, Principes, Christiani, & universi qui sunt à Deo maximo, in sublimitate constituti, ut omnibus, magnarum præbeant docu-
menta, & exempla virtutum. Quamobrem: cùm certum sit, Dei, & judiciorum ejus oblivionem, esse animarum inquisitionem, corruptio-
nem, & damnationem: ideoque de-

solatione desolatam esse terram , quia non est qui recogitet corde bona & mala æterna; vellem in omnium mortaliū mentibus, præsertim potentiorum hujus sæculi sic impressas esse has æternas veritates , ut nunquam ex illorum memoria exciderent semper inhererent ; & in hoc Psalterio de caco do sæpè , sæpius Deo , & sibi ipsis psallerent.

1. Initium omnis peccati superbia Diaboli , qui ab initio peccat , & omnes ad peccandum excitat , ut animarum lucretur perniciem æternam.

2. Radix omnium malorum est cupiditas , falsæ & inanis divinitatis : cuius specie decepta prima mulier , ab illa initium factum est peccati ; & per eam omnes morimur.

3. Per unum hominem , terrenum , effeminatum , Deo rebellem , peccatum intravit in mundum : & per peccatum mors , corporum & animorum , originali peccato coquinatarum : & sic in omnes homines mors pertransit , in quo omnes peccaverunt.

4. Memorare novissima tua , & in æternum non peccabis. Memento ho-

mo quia pulvis es, & in pulverem re-
verteris.

5. Quis est homo qui vivet, & non
videbit mortem, eruet animam suam
de manu inferi? quis scit an spiritus
filiorum Adam ascendat sursum in
Cœlum, an descendat deorsum in in-
fernū?

6. Mors peccatorum pessima: pre-
tiosa in conspectu Domini, mors San-
ctorum ejus.

7. Statutum est hominibus semel
mori, incertissimum quando: à qualite
tate mortis, dependet æternitas ho-
minis; ibit homo in Domum Æterni-
tatis suæ, vel gloriæ, vel poenæ.

8. Post mortem, inevitabilem;
omnibus mortalibus; immortalis ani-
ma, à suo mortali corpore separata,
manifestabitur ante tribunal Christi,
à quo sententiam æternitatis suæ de-
cretoriam accipiet secundūm opera
ejus.

9. In fine mundi, cuius diem ex-
tremum nemo scit; veniet Rex Re-
gum, Judex supremus omnium cum
virtute magna & Majestate ad univer-
sale judicium, in quo quidquid latet,
appare-

apparebit, nil inultum remanebit; tunc fiet æterna separatio justorum ab impiis; audient Pii ex ore Regis gloriæ illud Verbum unicè desiderandum; Venite benedicti: audient impi illud infinitè formidandum; Discedite à me maledicti. Sic ibunt impi in ignem æternum, justi autem in vitam æternam.

10. Duæ sunt viæ, ad duas æternitates: ad æternitatem poenæ, voluptas dicit; ad æternitatem gloriæ virtus Christiana: via virtutis arcta est, & pauci, sunt qui inveniunt eam: via voluptatis lata, & multi sunt, qui intrant per eam. In viâ virtutis momentaneum est, quod cruciat; æternum, quod delectat. In viâ voluptatis, momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Si ergo vis sapere salvari, Beatus esse cum paucis, justis piis, castis, Dei electis, semper utriusque viæ terminum aspice; in omnibus respice finem. Viam virtutis elige, & Deo auxiliante, sic per illam curre, ut comprehendas Beatam Æternitatem, coronam, mercedem, præmium consummatæ justitiae.

S

Hæ sunt magnæ illæ veritates ;
 quas Regius Propheta ingemiscit dimi-
 nutas esse à filiis hominum, qui non
 nisi temporalia bona, & mala con-
 templantes, annos æternos in men-
 te non habent ; ideoque nec Dei ti-
 more declinant à peccato ; nec Dei
 amore faciunt bonum, quo boni bea-
 tiq[ue] essent in æternum. Utinam qui
 illis magnis mundi Regibus, & Prin-
 cipibus adstant à secretis, loqueren-
 tur, quandoque de testimoniis, &
 judiciis Dei omnipotentis in conspe-
 ctu Regum ! utinam qui sunt super
 aliorum capita exaltati, audirent,
 & recogitarent corde, Regale illud
 Verbum sapientissimi Regum Israël,
 „ *Sapientia 6. Quoniam data est à Do-*
 „ *mino potestas vobis & virtus ab Al-*
 „ *tissimo, qui interrogabit opera ve-*
 „ *stra, & cogitationes scrutabitur,*
 „ *quoniam cum essetis ministri regni*
 „ *illius, non rectè judicastis ; nec cu-*
 „ *stodistis legem justitiae, neque se-*
 „ *cundūm voluntatem Dei ambula-*
 „ *stis. Horrendè & citò apparebit vo-*
 „ *bis, quoniam judicium durissimum,*
 „ *his qui præsunt fiet. Exiguo enim*

„ conceditur misericordia, potentes
 „ autem potenter tormenta patientur.
 „ Scimus, inquit, Apostolus J E S U
 „ C H R I S T I, Crucifixi, & gloriosi,
 „ qui dixit, mihi vindicta, & ego re-
 „ tribuam, & iterum quia judicabit
 „ Dominus populum suum, horren-
 „ dum est incidere in manus Dei vi-
 „ ventis. *Hebr. 10.* Princeps verò Apo-
 „ stolorum cuius est omnes Fratres
 „ suos, & Filios in Christo, Reges
 „ & Principes Christianos confirmare
 „ in fide & in timore Dei, sic scribit
 „ omnibus in Christo renatis. Tem-
 „ pus est ut incipiat judicium, à Domo
 „ Dei: si autem primum à nobis, quis
 „ finis eorum, qui non credunt Dei E-
 „ vangelio, & si justus vix salvabitur:
 „ impius & peccator ubi parebunt?

Summoperè optandum esset, ut om-
 nes Reges & Principes Christiani, has
 æternas veritates altè, impressas in men-
 te haberent, & quotidiè Regalem illam
 orationem, Regis secundum cor Dei;
 Regi Regum Christo, judici supre-
 mo, suppliciter offerrent, dicentes,
 cum illo: Confige timore tuo carnes
 meas, à judiciis enim tuis timui, me-

S 2

ditentur seriò , & sæpè istam ; Sa-
pientiæ increatæ & incarnatæ sen-
tentiam , totius salutis fundamentum ,
& Christianæ Doctrinæ ac pietatis
basim atque firmamentum : videlicet
nil prodesse homini si universum mun-
dum lucretur , animæ verò suæ detri-
mentum æternum patiatur. Unicum
esse summum hominis bonum , unicum
necessarium , salvare unicam suam ;
unicum summum malum , animam
suam immortalem in æternum perde-
re. Considerent igitur Regiæ illæ men-
tes , magnarum veritatum capaces ,
fluxam & momentaneam esse , morta-
lium vitam , Regum præsertim , &
Principum ; qui ubi ad districtum Dei
maximi judicium , vocabuntur ; illuc
accident sine custodibus , sine ullis
Regiæ dignitatis insigniis , vel poten-
tiæ humanæ præsidis , nudi , atque
inermes ; reddituri vitæ anteactæ ra-
tionem , Judici omnium scrutatori
cordium , quem nulla res latet , apud
quem non est acceptio personarum ,
qui potestatem habet , corpus & ani-
mam mittere in gehennam : ubi poten-
tiores , potentiora tormenta patientur ,

per totam æternitatem, si potestate si-
bi divinitus traditâ, abutantur, contra
ordinem Religionis, & justitiae, qui-
bus totus Orbis Christianus, per illos,
tanquam per nobilia Divinæ provi-
dentiæ organa, ad salutem temporalem
& æternam populorum fidelium, sa-
pienter & Christianè sustineri, forti-
ter & suaviter regi; piè & justè gu-
bernari, atque ad finem vitæ æternæ
perduci opporebat.

Qua de causa ne Reges & Principes
renati in Christi Sanguine, à quo om-
nem acceperunt potestatem, in ædifi-
cationem, & non in destructionem,
contra seiplos, & sua regna, iram om-
nipotentis Dei accendant; imitentur
Sanctorum Imperatorum, Regum &
Principum Christianorum, præde-
cessorum suorum, Regias & Christia-
nissimas virtutes: agendo & patiendo,
fortissima quæque, pro Dei majori
Gloria, pro Ecclesiæ, quam Rex
Regum Christus Deus-Homo, om-
nium hominum Salvator, acquisivit
Sanguine suo propagatione, ejus præ-
lia præliando contra sævissimos Chri-
stiani Nominis hostes: sic Deo fideliter

S 3

fervient, faciendo quod non possunt
facere nisi Reges, sic populis divina
auxilia, sibi ipsis æternam Gloriæ co-
rona merebuntur.



PARS ALTERA BELLI SACRI:

*Continens quatuor Exercitia militaria,
Christianæ Pietatis, ad
omnia utilis.*



Esus-CHRISTUS, Deus-
Homo, Rex Regum, Do-
minus dominantium, sum-
mus omnium Judex & Im-
perator noster omnes Christianos, in
eius Sanguine renatos, in eius fide
confirmatos, Corporis sui Eucharisti-
ci cibo confortatos, ad Bellum Sacrum
perpetuò convocat; dicens venite ad
me omnes: si quis vult post me venire
abneget semetipsum, tollat crucem
suam quotidiè, & sequatur me. Qui
vicerit faciam illum sedere mecum in
throno meo, sicut & ego vici & sedeo
cum Patre meo in throno ejus. Qui

habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: id est, omnibus fidelibus renatis, in Sanguine Christi Iesu, quem opportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Si ergo ipsum Regem gloriae opportuit esse in laboribus & doloribus, à juventute sua, perpetuò certare, & præliari contra Dei inimicos usque ad mortem crucis; quantò magis omnes, milites ejus, omnes omnino fideles, Reges, Principes, populi omnes qui Christiano Nominе gloriantur, sub vexillo Crucis militare debent, militiam bonam. Omnes igitur, accipiant, quotidiè armaturam Dei, cum quâ Dei gratiâ roborante infirmitatem humanam, legitimè certando usque in finem vitæ hujus mortalís, & momentaneæ, digni erunt accipere coronam justitiæ; quam reddet in illa die justus Judex, Rex Regum Christus Iesus, omnibus vitoribus suis, qui diligunt gloriosum adventum Domini sui, à quo unusquisque recipiet, secundum merita sua.

PRIMUM EXERCITIUM
MILITARE CHRISTIANÆ
PIETATIS.

Quinque præcipua capita doctrinæ E-
vangelicæ, omnibus Christi militi-
bus proposita, ut illa fideliter exe-
quentes, Deo auxiliatore, æterna
vitæ coronam mereantur accipere.

§. I.

EVANGELIUM J E S U .
C H R I S T I , prædicatum
ab Apostolis , in universo
mundo: & traditum ab ipso-
met Christo , Ecclesiæ suæ militanti ,
quam acquisivit Sanguine suo ; ut sit
omnium fidelium Mater & Magistra
veritatis: His quinque practicis prin-
cipiis comprehenditur; videlicet:

1. Credere credenda.
2. Recipere recipienda.
3. Petere petenda.
4. Facere facienda.
5. Expectare expectanda.

Hoc est summarium Doctrinæ

Evangelicæ, ab initio mundi absconditæ sapientibus & prudentibus sæculi hujus tenebroſi in maligno positi; & revelatæ parvulis, humilibus corde, ab ipſomet unigenito Dei Filio Incarnato, in ſinu humillimæ, piissimæ, & Sanctissimæ Virginis, Dei Genitricis M A R I Æ, Matris omnium fidelium.

I. V E R B U M.

Credere credenda.

Fides est sperandarum ſubſtanciæ rerum, argumentum non apparentium. Sine fide divinâ impossibile eſt accedere ad Deum, & Deo placere; Symbolum Apostolicum, quod Sancta Romana Ecclesia; à Principe Apostolorum, Beato Petro, & coapostolis ejus acceptum, fideli- bus tradit, eſt ſummarium credendorum. Inter Symboli Apostolorum articulos, tria ſunt mysteria præcipua, ab omnibus Christianis explicitè & fir- miſſimè credenda, tanquam omnium credendorum in particulari fundamen-

ta & firmamenta: nimirum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, in unitate Divinitatis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; tres Divinæ Personæ unus Deus optimus maximus, justus; sapiens, omnipotens, Creator omnium, Deus unus, trinus, Principium & finis omnium, visibilium & invisibilium: hoc est primum & maximum mysterium fidei, quod vocatur Majestas Divinitatis. Secundum est mysterium Incarnationis Verbi Dei, quod est magnum pietatis Sacramentum, Deus-Homo, unigenitus Dei Filius, exinanitus, Crucifixus, factus Homo, ut homines Divinitatis suæ tribueret esse participes, Mediator Dei & hominum; non est in alio aliquo salus. Trinitas Divinæ est Principium, & finis credendorum: Verbum Increatum & Incarnatum, JESUS-CHRISTUS Deus-Homo est medium, per quod Deo, uni, trino, unimur, & reconciliamur, ut per ejus gratiam, salutem Æternam, id est, perfectam felicitatem, in possessione Divinæ Trinitatis consequamur. Tertium est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum

veritatis, per quam accepimus symbo-
lum, sive regulam credendorum, ipsum
Evangelium Christi, Ecclesiæ tradi-
tum & revelatum. Quomodo enim
possemus certò scire hoc esse verum
symbolum, & verum Christi Evan-
gelium, & omnia hæc credenda my-
steria; nisi nos in illâ fide, Ecclesiæ
Catholicæ confirmaret auctoritas, in-
numeris miraculis à Deo glorificata?
Extra hanc Ecclesiam non est veritas
fidei divinæ, non est vera justitia, nec
vera salus. Ecclesia, ista auctoritate
Dei veri, vivi, optimi, maximi, omni-
potentis, necessariò per se existentis,
infinitè perfecti, fundata, est una, Chri-
stiana, Catholica, Apostolica, & Ro-
mana, quæ usque ad finem mundi
est permanens: supra Cathedram Bea-
ti Petri, ab ipsomet Christo stabilita,
& exaltata, tanquam supra montem
omnium oculis exposita, ad quam om-
nes, ex universo mundo nationes con-
stuerere possunt; & contra quam portæ
inferi error & iniquitas, huc usque
prævalere non potuerunt: nec un-
quam prævalebunt, secundum Christi
promissionem, qui cum sit ipsa veri-

tas, nec falli potest, nec fallere.

Hæc est fides Catholica & Romana, quam nisi quisque integrum, & inviolatam servaverit, in æternum peribit. Utinam ô Divina Trinitas, hanc fidem à Beato Petro, & ejus successoribus nobis traditam, omnes quotquot sumus Christiani Catholici, Romanæ Ecclesiæ Filii, extra quam non est salus, totius sanguinis effusione, sicut fecerunt innumeri Sancti Martyres; signare & confirmare per gratiam, & cum gratia JESU-CHRISTI, valeamus & mereamur. Amen.

II. VERBUM.

Recipere recipienda.

SAcramenta JESU-CHRISTI Ecclesiæ sponsæ suæ, tradita ab ipsomet Deo-Homine, sunt signa visibilia invisibilis gratiæ, non solum significativa, sed etiam effectiva, in illis, qui ea ut opportet recipiunt. Ex septem Christi Sacramentis Baptismus, qui est omnium primus in ordine receptionis, est Sacramen-

tum regenerationis, contra originale peccatum; à Christo institutum, ut per invocationem Sanctissimæ Trinitatis, & per aquam, & Spiritus Sancti communicationem, renascamur ad vitam æternam: unde post promulgatum Evangelium, est omnibus necessarius Baptismus, ut Christo uniamur sicut membra viva, capiti vivificant. Sacramentum Pœnitentiæ, est institutum contra peccata, propria voluntate contracta, post Baptismum. Sacramentum verò Eucharistiæ, est institutum à Christo tanquam omnium, potissimum, maximum & divinissimum, ut in JESUM transformemur, & ipse sit vita nostra, per arctissimam, ac perfectissimam cum illo unionem: undè meritò vocatur à Sanctis Patribus, extensio Incarnationis. Est autem Eucharistia, non solùm omnium Sacramentorum maximum, sed etiam maximum Sacrificium incruentum, Divinæ Trinitati infinitè gloriosum, & acceptum, & toti Ecclesiæ triumphanti in Cœlis, militanti in terris, & patienti in ignibus Purgatoriis, summè gratum, & salutare; atque omnibus

inferni portis formidandum. Tres sunt præcipui effectus Eucharisticæ communionis, seu fructus uberrimi, quibus abundantissimè cumulantur, qui illam frequenter, & piè recipiunt: scilicet per illam Communionem Spiritualem simul & Sacramentalem, liberantur fideles à peccatis quotidianis, & à mortalibus præservantur. 2. In charitate, gratiâ & aliis virtutibus, illi annexis crescunt, roborantur & perficiuntur, tanto magis, quò frequentius illam recipiunt, cum dispositionibus necessariis, & sufficientibus. 3. Denique disponuntur proximè ad ultimum certamen decretorum æternitatis singulorum, ad mortem pretiosam, in conspectu Domini, per quam in vitam æternam introducuntur, est enim Eucharistia cœleste antidotum contra peccata mortalia, cibus grandiū, & via-
ticum in Domino morientium. Nullum ergo Christianis omnibus dari potest salutarius consilium, quam sic vitam moresque suos secundūm Christi E.
vangelium componere; ut si sint Sa-
cerdotes, quotidie merito celebrare:
si non, communicare possint.

III. VERBUM.

Petere petenda.

Nihil frequentius commendavit Christus suis Discipulis, & consequenter nobis, & omnibus qui in illum credituri erant, quām perpetuam vigilantiam super vias nostras, supra nos ipsos, & perseverantem orationem; qua omnia majora Dei auxilia, per Christum obtinent Christiani, qui illum orant mente, & spiritu: non tantū verbis. Omnium orationum præstantissima est, illa quam Christus ipse primus obtulit Patri & docuit Discipulos suos, continet enim expressè omnia, quæ à Deo optimo petere debemus; ad nostram purificationem, illuminationem, sanctificationem & salutem Æternam.

Prima enim pars hujus orationis Domini nostri, exprimit quatuor petitionibus, summa bona, quæ humiliter à Deo optimo flagitare debemus. Secunda pars, tribus petitionibus, summa illa mala proponit: à quibus liberari

postulamus, ut mundi simus à pe-
cato; Deo grati, Sancti, & Beati. Hæc
sunt quæ Filios Dei militantes in ter-
ris, petere quotidiè opportet, à Patre
suo cœlesti, per J E S U M - C H R I S-
T U M , Salvatorem nostrum; cuius
salutaribus monitis, & divina institu-
tione formati, audemus dicere: Pa-
ter noster.

Post illam Orationem Dominicam,
Sancta Catholica & Romana Ecclesia,
docet nos Salutationem Angelicam:
quæ est perfectissima oratio qua Dei-
param possumus, congruis titulis ho-
norare & deprecari, ut sit nobis pro-
pitia apud Deum. Eadem Ecclesia à
Spiritu Sancto edocta omnem verita-
tem & pietatem, plurimas in Officio
Divino Orationes, tribus Divinis Per-
sonis, quotidie offert: pro sanctifica-
tione suorum filiorum, præsertim, in
Sacrificio Missæ: quæ omnes preces,
sunt effusiones ex Oratione Dominicâ
emanantes.

IV. VER.

IV. VERBUM.

Facere facienda.

Declina à malo peccati timore, Dei tui, & fac bonum amore ejus, qui prior dilexit te: Bonus eris, & Beatus in Deo tuo: qui cum sit optimus omnem iniquitatem, odio habet, & diligit justitiam & æquitatem: peccatum est iniquitas, omnium malorum aliorum, corporis & animæ origo & causa: amor Dei est, æquitas ipsa, omnium bonorum fons cœlestis; nihil tam malum ac peccatum, quo anima à Deo suo separatur. Nil sic ama ac Deum tuum, cætera propter ipsum, dili-ge Dominum Deum tuum ex toto, propter ipsum super omnia, & proximum sicut te ipsum propter Deum, si-cut Christus dilexit nos; in his duo-bus, continentur omnia facienda, qui sic diligit, omnem legem implet, quia perfecta dilectio est omnis legis plenitudo, omnia præcepta decalogi: & quæ ad receptionem Sacramentorum,

T

ac orationis exercitium, spectant omnia Christi consilia, omnia Ecclesie Christi mandata & Christianæ pietatis exercitia, ab his duobus mandatis procedunt: & ad illa referuntur, ut securius, constantius, & perfectius obseruentur; unde his recensitis, adjicit Christus, hoc fac & vives: id est, sapiens, justus, & beatus eris in Deo tuo.

Perfectus amor Dei, & proximi in Deo usque ad contemptum nostri, id est, veteris hominis cum actionibus suis; hæc est consummata justitia Christiani in statu viæ constituti. Hanc ideo dilectionem, vocat Paulus vinculum perfectionis: id est, perfectæ actionis, quâ Deo arctissimè uniuntur viatores: sed non erit omnino absoluta, nisi in statu comprehensoris, quando Deum videntes, sicut in se est, sic ex toto diligemus, & illi inhærebimus, tam fortiter ac suaviter, ut nulla omnino creatura possit, nos ab ejus amore separare. Cæterum ad hanc perfectiōnis Christianæ metam, tendere sic debemus, ut illam tandem Deo adiante comprehendamus, in tempore enim inutiliter vivitur, nisi ut acquiratur

meritum, & de virtute, in virtutem
crescatur, quo in Beatâ Æternitate,
eò glorioius & beatius vivatur, quò
Deus, & proximus in Deo amato ar-
dentius diligitur.

V. VERBUM.

Expectare expectanda.

BEATI, qui sic timent à judiciis
Dei, ut quotidiè ad gloriosum
omnium Judicis adventum, se
præparantes: diligent & expectent
illum venientem, cum potestate ma-
gnâ & majestate. Omnes Christi mili-
tes, qui in Christum J E S U M credi-
derunt, in ipso renati sunt: magno
ejus Sacramento, cibo grandium, ro-
borati sunt, nomen ejus invocaverunt,
peccatum odio habuerunt, divina ejus
mandata servaverunt, & legitimè cer-
taverunt: quid aliud desiderare, &
expectare ab optimo, & potentissimo
remuneratore possunt, nisi coronam
illam justitiae consummatæ, quam red-
det in illa die justus Judex, omnibus
qui diligunt adventum ejus gloriosum?

T 2

Tria igitur quotidiè expectare debent magnanimi milites Christi: qui per arma lucis, præliantur præium Domini, cum lætitia, dilectione, & sancto timore vigilantes, orantes, perseverantes in certamine: videlicet pretiosam mortem in conspectu Domini: gloriosam Resurrectionem, in die judicii, possessionem æternam à dextris Imperatoris sui post elogium illud magnificum, ex ore Altissimi: Venite milites mei magnanimi, vos estis qui permanistis mecum in temptationibus, in laboribus, in periculis, in præliis meis, usque in finem: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: vicistis malignum, gratiam meam in vacuum non accepistis, bonum certamen certastis, cursum consummasti, fidem servasti, Evangelium meum non erubuisti, crucem vestram quotidiè portasti, me Regem & Salvatorem vestrum, per arctam viam secuti estis; coram hominibus meum nomen confessi estis, fortiter in Bello contra inimicos meos dimicasti, de omnibus, me adjuvante triumphasti, venite

ergo amici mei, sedete tecum in throno meo : sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus, vos estis regnum meum, & corona gloriae meæ, manete tecum in regno meo in Æternum, quiescite modo à laboribus vestris, in sinu divinitatis meæ. Ecce ego, Pater & Spiritus Sanctus ; qui tres unus sumus unus Deus, erimus omnia, in vobis omnibus.

SEX ALÆ SPIRITUALIUM CHRISTIANORUM.

1. **R**ede in Deum, unum, trinum, Creatorem tuum: & **J E S U M - C H R I S T U M** Deum. Hominem, Salvatorem tuum.
2. Dilige Deum tuum super omnia, & proximum tuum in Deo sicut te ipsum.
3. Declina à peccato timore Dei, & fac bonum imperatum amore Dei tui.
4. Aperi os tuum in laudes Dei tui, & invoca nomen ejus in auxilium tuum.
5. Recipe Sacra menta instituta à

T 3

Domino J E s u Salvatore tuo , tan-
quam gratiarum illius fontes perpe-
tuos.

6. Et sic Dei gratiæ cooperari sata-
ge , ut semper sis paratus , de hac mor-
talitate exire: cupiens dissolvi , ut vi-
deas facie ad faciem Deum cordis tui.

S Y M B O L U M
S A N C T I A T H A N A S I I .

*Præcipua fidei Catholicae Mysteria ex-
plicans , auctoritate summi Pontifi-
cis Romani approbatum , ad quem
pertinet fidei Symbolum , sive regulam
ordinare ; Concilia congregare , appro-
bare , aut dissolvere : sicut & omnia
alia , quæ spectant , ad regimen totius
Ecclesiæ militantis : cuius ipse solus ,
est unicum Caput visibile , ab ipsis
Christo constitutum , ut omnes conju-
met.*

S. I.

1.  Uicumque vult salvus esse ,
ante omnia opus est ut teneat
Catholicam fidem.

2. Quam nisi quisque integrum in-

violatamque servaverit, absque dubio
in æternum peribit.

3. Fides autem Catholica, hæc est
ut unum Deum in Trinitate, & Tri-
nitatem in unitate veneremur.

4. Neque confundentes Personas,
neque substantiam separantes.

5. Alia est enim Persona Patris, alia
Filii, alia Spiritus Sancti.

6. Sed Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti, una est Divinitas: æqualis
gloria coæterna Majestas.

7. Qualis Pater, talis Filius, talis
Spiritus Sanctus.

8. Increatus Pater, increatus Filius,
increatus Spiritus Sanctus.

9. Immensus Pater, immensus Fi-
lius, immensus Spiritus Sanctus.

10. Æternus Pater, æternus Fi-
lius, æternus Spiritus Spiritus.

11. Et tamen non tres æterni, sed
unus æternus.

12. Sicut non tres increati, nec tres
immensi; sed unus increatus, & unus
immensus.

13. Similiter omnipotens Pater, om-
nipotens Filius, omnipotens Spiritus
Sanctus.

14. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

15. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

16. Et tamen non tres dii, sed unus est Deus.

17. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

18. Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

19. Quia sicut sigillatim unam quamque Personam, Deum ac Dominum confiteri Christianâ Religione compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholicâ Religione prohibemur.

20. Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

21. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

22. Spiritus Sanctus, à Patre & Filiō, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

23. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

24. Et in hac Trinitate, nihil prius

aut posterius, nihil majus, aut minus,
sed totæ tres Personæ coæternæ, sibi
sunt & coæquales.

25. Ita ut per omnia, sicut jam su-
pra dictum est, & unitas in Trinitate,
& Trinitas in unitate, veneranda sit.

29. Qui vult ergo salvus esse, ita de
Trinitate sentiat.

30. Sed necessarium est, ad æter-
nam salutem; ut Incarnationem quo-
que Domini nostri JESU-CHRISTI,
fideliter credat.

31. Est ergo fides recta, ut creda-
mus, & confiteamur: quia Dominus
noster JESUS-CHRISTUS Dei Fi-
lius, Deus & Homo est.

34. Deus est ex substantia Patris,
ante sæcula genitus: & Homo est ex
substantia Matris, in sæculo natus.

35. Perfectus Deus, perfectus Ho-
mo, ex anima rationali, & humana
carne subsistens.

36. Æqualis Patri secundum Divi-
nitatem, minor Patre secundum hu-
manitatem.

37. Qui licet Deus sit & homo, non
duo tamen, sed unus est Christus.

38. Unus autem non conversione

Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

39. Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate Personae.

40. Nam sicut anima rationalis, & Caro unus est Homo, ita Deus & Homo, unus est Christus.

41. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die Resurrexit à mortuis.

42. Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos.

43. Ad cuius adventum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt, de factis propriis rationem.

44. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

45. Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

§. II.

Quàm sit necessarium, & salutare omnibus quidem, sed in primis, Regibus, ac Principibus Christianis, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, quotidianum pia, humilis, & perseverantis orationis exercitium: fons inexhaustus, magnorum Dei auxiliorum.

 Ummus Imperator noster J E S U S - C H R I S T U S, transiturus de hoc mundo ad Patrem, post datam suis Eucharistiam; nihil efficacius commendavit illis, quàm vigilantiae, & orationis exercitium: Vigilate, inquit, & orate, ut non intretis in temptationem: quod ter ipsis inculcare voluit; & exemplo suo docens, quod verbo prædicabat, ipsemet omnipotens Deus-Homo, qui nullius egebat auxilio, factus in Agoniâ prolixius orabat. Unde patet Christianum, oratione non munitum, esse militem ineremem, & spoliatum, hostium telis expositum; quisquis ergo, non vult quotidie orare, non vult quotidie inimicos

animæ suæ superare, semper enim vigilat adversarius noster Diabolus, modò sicut Leo rugiens, modò ut Draco insidiosus circuiens, & quærens quem devoret, cui nisi resistamus perpetuò, per arma fidei, pietatis, & orationis, vincemur, vinciemur, & in barathrum peccati, ac damnationis pertrahemur. Qui vult ergo semper vincere tentatorem, debet semper vigilare, & orare, ne succumbat tentationi; alioquin non perseverabimus in fide, in pietate, in timore, in amore, & in gratia Dei usque in finem: nisi perseveremus cum Christo, in oratione Dei, usque ad mortem.

Memoranda est illa sententia, magni Ecclesiæ Doctoris Sancti Augustini, perpetui oratoris Dei, qui Pelagium gratiæ Dei hostem, hortabatur ad orationem, ut obtineret lumen, & gratiæ auxilium. Sic loquitur, libro de naturâ & gratiâ, Cap. 43. Constat,
 „ inquit, Deum alia non orantibus,
 „ sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparare, sicut usque in finem perseverantiam. Et illa alia libro de dogmatibus Ecclesiasticis, Cap. 56. ex eodem Augustino ex-

„cerpta. Nullum credimus ad salu-
 „tem nisi Deo invitante venire , nul-
 „lum invitatum salutem suam , nisi
 „Deo auxiliante operari, nullum nisi
 „orantem auxilium promerer. No-
 tandum verò in primis, quod in hanc
 sententiam docet Concilium Tri-
 dentinum Sessione VI. Cap. 11. id
 est , ipsemet Spiritus Sanctus , qui
 docet nos , omnem veritatem , per
 os Ecclesiæ , & qui omnes fideles
 „impellit ad orationem. Deus, inquit,
 „impossibilia non jubet , sed jubendo
 „monet: & facere quod possis, & pe-
 „tere quod non possis, & adjuvat ut
 „possis.

Ex quâ decisione, significatur: pe-
 titionem auxilii divini , quo nobis fit
 possibilis impletio mandatorum Dei ,
 tam esse necessariam; quâm necessa-
 riū est servare mandata. Quia sine
 oratione, hoc nobis esset impossibile :
 & nihilominus , nobis imputaretur
 transgressio, quia in potestate nostra
 est orare , cum divinâ gratiâ, quæ ad
 hoc semper est parata : inquiunt Do-
 ctores Catholici. Ideò Sanctus Leo Pa-
 pa, Sermone de jejunio septimi mensis.

Christum ita loquentem; introducit:
 „ Facite quod amo, & amate quod fa-
 „ cio: & si vobis interdum videtur esse
 „ difficile, quod jubeo; ad auctorem re-
 „ currite, ut unde datum est præce-
 „ ptum, præstetur auxilium; non nego
 „ opem, cui tribui voluntatem.

Merito Augustinus vocat oratio-
 nem Christiani, clavem Paradisi: quia
 sicut sine clavi non potest aperiri por-
 ta firmissimè clausa: & clavi quælibet,
 porta etiam ferrea aperitur: sic sine
 oratione, nemo potest aperire sibi ja-
 nuam Cœli, & nulla est porta Cœlo-
 rum, quam humilis oratio ac perseve-
 rans, tandem non aperiat: oratio enim
 humiliantis se nubes penetrabit, & do-
 nec propinquet non consolabitur, &
 non discedet donec Altissimus aspiciat,
 dicit Spiritus Sanctus, per Ecclesiasti-
 cum Cap. 35. Sed quid pluribus opus
 est testimoniis, post tam claram, &
 iteratam decisionem ipsius Verbi In-
 carnati, quia ipse met dixit.

„ Petite & accipietis, quærite & in-
 „ venietis; pulsate, & aperietur vobis:
 „ omnis enim qui petit accipit, & qui
 „ quærit invenit, & pulsanti aperietur.

Luca Cap. 11. & iterum efficacius;
Joan. 14. in Sermone suo post cœ-
 nam Eucharisticam. Amen, amen
 „ dico vobis quodcumque
 „ petieritis Patrem in Nominé meo
 „ hoc faciam, ut glorificetur Pater,
 „ in Filio, si quid petieritis me in No-
 „ mine meo hoc faciam. Et iterum,
 „ *Cap. 16.* Amen, amen dico vobis;
 „ si quid petieritis Patrem in Nominé
 „ meo dabit vobis, usque modò non
 „ petistis, quidquam in nomine meo;
 „ petite & accipietis, ut gaudium ve-
 „ strum sit plenum.

Ex quibus omnibus divinis testimo-
 niis de necessitate, utilitate, & effica-
 ciâ orationis, liquet illos Christianos,
 non perseveraturos usque in finem, in
 gratiâ Dei, qui non perseverant in ora-
 tione, idemque esse nolle orare Deum
 humiliter, ac perseverantes, & nolle
 perseverare usque in finem; quia per-
 severantia finalis in gratia Dei, est fru-
 ctus perseverantis orationis. Quod si
 tam necessarium est omnibus Christianis
 piæ, humilis, & constantis oratio-
 nis exercitium, quanto magis Regi-
 bus, Principibus potentioribus sæculi,

& Prælatis, Episcopis, & iis, qui sunt in quacumque sublimitate spirituali, vel temporali à Deo supra cæteros exaltati; erit necessarium hoc orationis exercitium. Quippe illi magis vacare orationi debent, qui majoribus auxiliis indigent, ut salventur & secum alios salvent; at quinam majoribus Dei auxiliis indigent, ne tentationibus succumbant, & in peccatis moriantur, atque aliis provideant, quām qui supra cæteros magis exaltantur: nonne illi majoribus undique periculis circumvallantur? majoribus temptationibus à dextris & à sinistris, intus & foris oppugnantur? majoribus illecebribus alliciuntur? majoribus obstaculis retardantur? majoribus difficultatibus implicantur? majoribus obligationibus obstringuntur? majoribus infirmitatibus atteruntur? majoribus passionibus inflammantur? nonne in hoc statu constituti sunt, Reges, Principes & Potentiores?

Illi ergo majoribus Dei auxiliis indigentes, magis incumbere tenentur in exercitium orationis, nihilque horribilius est, & perniciosius, quam

quam diem sine oratione transire: & qui Principes ab orationis studio avertunt, semetipos cum illis perdunt, quos ad vigilandum & orandum tecum excitare debuerant; quare Discipuli omnes relicto Domino suo fugerunt tempore Passionis? nisi quia sicut illos monuerat, cum illo non vigilaverunt tempore orationis.

Atque inter cæteros, Princeps Apostolorum Petrus, ter Dominum suum non negasset; si specialiter, ter jussus orare, non neglexisset. Videant omnes animarum Pastores, in illo terribili humanæ infirmitatis lapsu, quām sit noxiū Ecclesiæ Principibus, & omnibus qui à Deo supra cæteros sunt in potestate constituti, orationis exercitum omittere dormiendo, aut aliud agendo, cum illos oppoteret vigilare & orare pro sua & suorum salute. Cæterū idem Petrus, qui oratione non armatus, ad unius mulierculæ vocem prostratus est; postea Spiritu Sancto, repletus, Spiritu orationis roboratus, tantā fortitudine donatus est, ut supra firmissimam illam Sedis Apostoli & Petram, cuius Christus ipse summus

angularis lapis est ; tota Ecclesia Catholica ædificata, immobilis permaneat in hanc usque diem ; nec possint unquam superbæ inferorum portæ contra illam prævalere.

Sicut ergo summus omnium Pontifex **J E S U S**, à dextris Dei Patris sedens, semper vivens & vigilans est, ad interpellandum pro nobis ; ita Princeps Apostolorum, semper est de Ecclesiæ sibi à Christo commissæ bono, ac salute sollicitus ; ut navis illa fide- lium, enavigato tempestuosi hujus sæculi oceano , ad æternæ gloriæ portum secura perveniat ; sicut ipse cum adhuc in terris viveret, fidelibus promisit, paulò , ante suum martyrium : Dabo autem operam, inquit ille vigilantissimus gregis dominici Pastor, & frequenter, post obitum meum, habere vos, ut horum memoriam faciatis.

Ex quibus omnibus liquidò constat, quām sit necessarium Principibus Ecclesiasticis , & sæcularibus orationis quotidianæ exercitium ; sine quo non obtinebunt à Deo illa auxilia specia- lia ; cum quibus salvarentur , si ea à Deo benè peterent : Inter omnes Reges

populi Dei, nullus vim, & necessitatem orationis melius intellexit, quam ille qui ignorans litteraturam inflantem, per humilem & continuam orationem, ingressus est in potentias Domini, quem semper providebat in conspectu suo, in cuius lege meditabatur die, ac nocte, & cui septies in die laudem specialiter dicebat, super iudicia justitiae ejus, sicut ipsem testatur in Psalmis suis; qui tot orationes iugitas continent, quot versus, quibus tanquam sagittis, amore inflammatis, cor Dei vulnerabat; ejusque magnam misericordiam, sibi in omnibus propitiā reddebat. Enimvero Rex ille piissimus, perpetuā elevatione mentis suæ in Deum; id est, sine intermissione orando, tria summa bona, à Patre luminum, à quo descendit omne bonum perfectum, obtinuit. Scilicet:

1. Plenam omnium suorum peccatorum remissionem.

2. Maximam intelligentiam mysteriorum Dei, præsertim admirabilis œconomiae Incarnationis, Verbi Dei Christi Iesu, quem semper obculos mentis sibi repræsentabat, in suis

308.
orationibus, & in omnibus actibus vi-
tæ suæ.

3. Denique pretiosam mortem in
conspictu Domini, quam secuta est
vita æterna. Hi sunt fructus orationis
Regalis, viri secundum cor Dei, quem
omnes Reges, & Principes Christia-
ni, non modò imitari deberent, sed
etiam supergredi in fide, in pietate,
& in exercitio piissimæ orationis ad
omnia utilis ; promissionem habentis
vitæ quæ nunc est, & futuræ. Hoc
exercitio Christianissimi, & Sanctissi-
mi illi Imperatores, Reges, Princi-
pes, quorum meminimus in prima par-
te Belli Sacri ; maxima Dei auxilia
pro se, & pro suis, à Deo obtinue-
runt : & qui in illud magis incumbent,
Deum sibi, & suis magis habebunt
propitium ; ut Deus ipse, qui nemi-
nem fallere potest, pollicetur in sacris
paginis. Tres sunt libri quos perpetuò
volvere deberent Reges & Principes
Christiani, 1. liber Psalmorum, 2. liber
Parabolarum Salomonis, Filii David
Regis Israël, cum Ecclesiaste, quem
his verbis claudit : finem loquendi
pariter omnes audiamus. Deum time

„ & mandata ejus , observa: hoc est
 „ enim omnis homo , & cuncta quæ
 „ fiunt , adducet Deus in judicium ,
 „ pro omni errato, sive bonum, sive ma-
 „ lum illud sit. Tertius liber omnium
 præstantissimus, quem Reges, & Prin-
 cipes fideles non solum legere , &
 intelligere, sed in cordibus suis im-
 pressum , & in manibus Regalibus ex-
 pressum tenere perpetuò deberent, est
 Sacro - Sanctum Evangelium Regis
 Regum , Salvatoris omnium homi-
 num , Domini nostri J E S U - C H R I S-
 T I , in quo omnes Thesauri , sapientiæ
 & scientiæ Dei sunt absconditi , & om-
 nis plenitudo Divinitatis inhabitat
 substantialiter.

Si ergo , inquit , Spiritus Sanctus ,
 per os Sapientis , delectamini sedibus
 & sceptris ô Reges, diligite Sapientiam ,
 increatam & incarnatam ; ut in æter-
 num regnetis : neminem enim diligit
 Deus nisi qui cum sapientia inhabitat ,
 ipse autem unigenitus Dei Filius factus
 est nobis sapientia à Deo : sapientiam
 autem loquimur inter perfectos , in-
 quid , Doctoř gentium , quam nemo
 Principum hujus sæculi , Principum

infidelium cognovit, & in cujus fide, spe, dilectione, invocatione, Religione, Nominis propagatione, gloriantur corda Sanctorum Imperatorum, Regum, Principum Christianorum, atque omnium Electorum Dei in Christo Jesus uero Domino nostro. Quisquis igitur vult cum Davide, & Sanctis Regibus ingredi in potentias Domini, & Deo, uni, trino, atque Verbo Incarnato, Regi Regum, Christo Jesus primogenito prædestinatorum, ad vitam æternam adhærere, & illi placere; ac magnis ejus gratiæ donis, abundantius cumulari, perseveret usque ad finem vitæ hujus momentaneæ ac mortalis, quæ nil est nisi mors fluens, in exercitiis pietatis, & orationis ad omnia utilis. Ad hunc finem ordinata sunt Exercitia militaria hujus tertiae Partis Belli Sacri, in quibus, qui cum Dei gratiâ legitimè certando perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hujus veritatis Evangelicæ & fundamentalis, illustre testimonium, simul & exemplum, omnibus Christianis Regibus, & Principibus præbet: in-

ter cæteros eximiae pietatis Proceres, Ferdinandus III. Castellæ, & Legionis Rex Catholicus, cui Sancti cognomentum, jam inde à quatuor sæculis, unanimis & constans Ecclesiarum consensus dedere; si quidem Regem illum verè magnum & sanctum, per assiduum orationis, & Christianæ pietatis exercitium, ad sublimioris perfectionis fastigium, gratiâ auxiliatrice evectum esse constat: gloriosus hic Princeps sub Berengariæ Matris, pientissimæ Reginæ, disciplinâ educatus, in eo, adjunctis, regni curis, Regiæ virtutes, orationis filiæ illustres emicuere, magnanimitas, clementia, prudentia, iustitia; & præ cæteris, Catholicæ fidei zelus, ejusque Religiosi cultus tuendi ac propagandi ardens studium: id præstítit in primis hæreticos infectando, quos nullibi regnorum suorum consistere passus est. Unde glorioſſimum Regis Catholici nomen, sibi & posteris suis Hispaniarum Regibus, ejusdem fidei Catholicæ & pietatis hæredibus, & propagatoribus, afferuit. Insuper cláruit, Pia & Regia, Sancti Regis mu-

nificantia, in erigendis, dotandis, & consecrandis Christiano ritu nobiliorum per sua regna Urbium Ecclesiis. Numerosis exercitibus collectis, annuas expeditiones contra Saracenos, Christiani Nominis hostes suscepit, semperque victor rediit; quia Rex ille piissimus, nunquam nisi fusis ad Deum, ut omnipotentem sibi propitiaret, Regis precibus, flagris in seipsum saeviens, atque aspero cilicio munitus, ad pugnam procedebat; sicque insignes contra ingentes Maurorum acies, victorias armatis precibus, prælium Domini præliando reportavit. Quas omnes Deiparae Virginis M A R I A singulari Patrocinio, ferebat acceptas: cuius Imaginem secum in castris habens, peculiari cultu prosequebatur, Rex Sanctus, & invictus; inter quotidianæ Christianæ pietatis exercitia, majori in dies propagandæ Catholicæ, Religionis zelo accensus, trajicere in Africam parabat, Mahometanum in eâ Imperium eversurus, dum à Rege Regum, ad cuius Nominis majorem gloriam propagandam, toto vitæ suæ cursu militaverat, ad cælestem Re-

giam evocatus est ; in extremo vitæ Agone Divinam Eucharistiam, pro viatico allatam, fune ad collum alligato, & humili stratus, cum lacrymis ubertim fusis adorans: eaque dignis, reverentiâ, humilitate, & Catholicæ fidei obtestationibus acceptâ, in splendoribus Sanctorum, in ardoribus Christianæ pietatis, in æstu amoris Christi Iesu, Rex Sanctus, sanctè sicut viixerat expiravit; cum illo in æternum regnaturus, cuius regni, non erit finis. In hoc lucidissimo virtutum Regiarum speculo, agnoscant Reges & Principes Christiani, nihil esse ad omnia summa perficienda utilius, efficaciusque Regia pietate, illâ unâ Imperatorem Sanctissimum Henricum Bavaram Germaniæ, Regem Sanctum Stepanum Hungariæ, Eduardos Reges Sanctos Angliæ, Ludovicum Sanctum Galliæ, & Ferdinandum Sanctum Regem Catholicum Hispaniæ peperit. Illa est, quæ omnes, quotquot fuerunt militantis Ecclesiæ Hæroes formavit, & usque ad thronum Regis gloriæ exaltavit. Quisquis ergo vult esse verè magnus, coram Deo maxi-

mo, & hominibus, studeat esse Pius
Enimverò pietas Christiana ad omnia
utilis, via est Regia ad immortalem
Celsitudinem, qui illâ caret, quan-
tumvis cæteris abundet, nil magni
possidet.

SECUNDUM EXERCITIUM
MILITARE DIVINÆ
PIETATIS

*Mensis Regalis pientissimi Regum Is-
raël, Viri secundum Cor Dei. Id
est: Sagittæ electæ, aut Oratio-
nes jaculatoriae ex Psalmis Davidi-
cis, in singulos dies mensis distri-
butæ.*

Sagittæ tuaæ infixæ sunt mihi. Psal. 37.

NARRAT Sanctus Hierony-
mus, suo tempore rusticos
& artifices Christianos, in
totâ ferè Palestinâ, Psalmos
Davidicos decantare solitos, illi du-
cendo aratrum, hi mechanica opera
exercendo. Quàm esset laudabile,

pium, & salutare, omnibus ad Bellum Sacrum, contra inimicos Crucis Christi proficiscentibus: si Duces exemplo suo, gregarios milites hujusmodi orationibus, excitarent, ad implorandum Dei auxilium, sicut faciebant gloriosi Machabæi, prælantes prælium Domini, cum lætitia. Non cedant illis in pietate ad omnia utili, Princes, Duces, & milites Christiani; qui sub Crucis vexillo militant militiam Sacram. Sit ergo hic velut mensis Belli Sacri.

I. D I E S.

*Peccavi Deo meo, peccatum meum
contra me est semper.*

1. **M**iserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
2. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.
3. Averte faciem tuam à peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele:

316.
cor contritum & humiliatum Deu-
cordis mei, ne despicias, propter fa-
ciem Christiani JESU.

I I. D I E S.

1. **C**or mundum crea in me Deus,
& spiritum rectum, innova in
visceribus meis.

2. Ne projicias me à facie tua, & Spi-
ritum Sanctum tuum ne auferas à me.
3. Redde mihi lætitiam salutaris tui,
& spiritu principali confirma me. Illu-
mina oculos meos, ne unquam obdor-
miam in morte: ne quando dicat mihi
inimicus meus, prævalui adversus eum.

I I I. D I E S.

1. **D**omine ne in furore tuo arguas
me, neque in ira tua corri-
pias me.

2. Miserere mei Domine quoniam
infirmus sum, fana me Domine, quo-
niam conturbata sunt ossa mea, & ani-
ma mea turbata est valde, sed tu Do-
mine usquequo?

3. Convertere Domine & eripe ani-
mam meam, salvum me fac, propter
misericordiam tuam; quoniam non est

in morte, qui memor sit tui, in inferno autem, quis confitebitur tibi?

I V. D I E S.

1. **D**eus cordis mei, delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

2. Duxi confitebor adversum me in-justitiam meam Domino; & tu remisisti iniquitatem peccati mei.

3. Tu es refugium meum, à tribu-latione quæ circumdedit me; exulta-tio mea, erue me à circumdantibus me.

In te Domine speravi, non confun-dar in æternum: in justitia tua, libera me. Esto mihi in Deum protectorem, & in Domum refugii ut salvum me facias.

V. D I E S.

1. **I**Niquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus gra-ve, gravatæ sunt super me.

2. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

3. Domine ante te omne deside-rium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. In te Domine speravi;

tu exaudies me Domine Deus meus,
Educ me de laqueo quem absconde-
runt mihi, quoniam tu es protector
meus.

V I. D I E S.

1. **N**E derelinquas me Domine
Deus meus, ne discesseris a me;
intende in adjutorium meum, Domi-
ne, Deus salutis meæ.

2. Domine exaudi orationem meam,
& clamor meus ad te veniat: Neaver-
tas faciem tuam a me, in quacumque
die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacumque die invocavero te, ve-
lociter exaudi me.

3. Ne revokes me in dimidio die-
rum meorum. De profundis clamavi
ad te Domine, Domine exaudi vocem
meam. Fiant aures tuæ intendentæ,
in vocem deprecationis meæ. Si ini-
quitates observaveris Domine, Do-
mine quis sustinebit.

V I I. D I E S.

1. **D**omine exaudi orationem meā,
auribus percipe obsecrationem
meam; in virtute tua exaudi me, in
iustitiā.

2. Non intres in judicium cum ser-
vo tuo , quia non justificabitur , in
conspectu tuo omnis vivens.

3. Auditam fac mihi manè miseri-
cordiam tuam , quia in te speravi.

V I I I. D I E S.

1. **N**otam fac mihi viam in qua am-
bulem , quia ad te levavi ani-
mam meam.

2. Eripe me de inimicis meis Do-
mine , ad te confugi: doce me facere
voluntatem tuam , quia Deus meus
es tu.

3. Ne perdas cum impiis Deus ani-
mam meam , & cum viris sanguinum
vitam meam. In manus tuas commen-
do spiritum meum , redemisti me Do-
mine Deus veritatis.

I X. D I E S.

1. **D**eus , Deus meus respice in
me , quare me dereliquisti ;
longè à salute mea verba delictorum
meorum.

2. In te projectus sum ex utero , de
ventre matris meæ , Deus meus es tu ,
ne discesseris à me.

3. Tu Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam confipe: inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.

X. D I E S.

1. **E** Rue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam?

2. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam.

3. Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speravi in te. In manus tuas Domine commendō spiritum meum: miserere mei & salva me.

XI. D I E S.

1. **A**D te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

2. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

3. Dirige me in veritate tua & docce me, quia tu es Deus Salvator meus, & te

& te sustinui tota die: miserere mei, &
exaudi orationem meam.

XII. D I E S.

1. **D** Elicita juventutis meæ, & igno-
rantias meas ne memineris Do-
mine.

2. Secundum misericordiam tuam,
memento mei tu, propter bonitatem
tuam Domine.

3. Propter nomen tuum Domine,
propitiaberis peccato meo; multum
est enim: misericordia tua super om-
nia opera tua.

XIII. D I E S.

1. **R** Espice in me, & miserere mei,
quia unicus & pauper sum
ego.

2. Tribulationes cordis mei multi-
plicatæ sunt, de necessitatibus meis
erue me.

3. Vide humilitatem meam, & la-
borem meum: & dimitte universa de-
licta mea, peccavi Deo meo.

X I V. D I E S.

1. **R** Espice inimicos meos; quoniam multiplicati sunt, & odio in quo oderunt me.

2. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.

3. Libera Deus Israël: ex omnibus tribulationibus suis.

X V. D I E S.

1. **V** Tinam dirigantur viæ meæ; ad custodiendas justifications tuas?

2. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis?

3. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

X VI. D I E S.

1. **R** Etribue servo tuo, vivifica me: & custodiam sermones tuos.

2. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

3. Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua: peregrinus sum sicut omnes Patres mei, quando veniam & apparebo ante faciem tuam.

XVII. D I E S.

1. **A** Ufer à me opprobrium ; & contemptum , quia testimonia tua exquisivi.

2. Adhæsit pavimento anima mea , vivifica me : secundùm verbum tuum.

3. Viam justificationum tuarum instrue me , & exercebor in mirabilibus tuis : confirma me in verbis tuis.

XVIII. D I E S.

1. **L** Egem pone mihi Domine , viam justificationum tuarum , & exquiram eam semper.

2. Da mihi intellectum , & scrutabor legem tuam ; & custodiam illam , in toto corde meo.

3. Inclina cor meum in testimonia tua , & non in avaritiam.

XIX. D I E S.

1. **A** Verte oculos meos , ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

2. Statue servo tuo eloquium tuum , in timore tuo.

3: Amputa opprobrium , quod sif-

X 2

picatus sum : quia judicia tua jucunda. Ecce concupivi mandata tua Domine , doce me facere voluntatem tuam.

X X. D I E S.

1. **M**Emor esto verbi tui servo tuo , in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea , quia eloquium tuum , vivificavit me.

2. Misericordiâ tuâ Domine plena est terra: justifications tuas doce me.

3. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine : secundùm verbum tuum, Bonitatem & disciplinam , & scientiam doce me , quia mandatis tuis credidi.

X X I. D I E S.

1. **B**Onum mihi quia humiliasti me, ^{sub}ut discam justifications tuas.

2. Bonum mihi lex oris tui; super millia auri & argenti.

3. Manus tuæ fecerunt me , & plasmaverunt me : da mihi intellectum , & discam mandata tua.

XXII. D I E S.

QUi timent te, videant me, & lætentur; quia in verba tua superesperavi.

2. Fiat misericordia tua, ut consoletur me: secundum eloquium tuum servo tuo.

3. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam quia lex tua meditatio mea est.

XXIII. D I E S.

Confundantur superbi, quia in justè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

2. Convertantur mihi, timentes te, & qui noverunt testimonia tua.

3. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

XXIV. D I E S.

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum, superesperavi. Inclina Domine aurem tuam & exaudi me: quia inops & pauper sum ego.

X 3

2. Defecerunt oculi mei in elo-
quium tuum, dicentes quando conso-
laberis me?

3. Tuus sum ego, salvum me fac:
quoniam justificationes tuas exquisivi

XXV. D I E S.

1. **L**ucerna pedibus meis verbum
tuum, & lumen semitis meis.
Juravi, & statui custodire omnia ju-
dicia, justitiae tuæ.

2. Humiliatus sum usquequaque
Domine: vivifica me secundum ver-
bum tuum.

3. Voluntaria oris mei beneplacita
fac Domine: & judicia tua doce me.

XXVI. D I E S.

1. **A**djutor & susceptor meus es
tu, & in verbum tuum super-
speravi.

2. Suscipe me secundum eloquium
tuum, & vivam; & non confundas me
ab expectatione mea.

3. Aduja me & salvus ero: & me-
ditabor in justificationibus tuis semper,

XXVII. D I E S.

1. **C**onfige timore tuo carnes meas:
à judiciis tuis enim timui.
2. Feci judicium, & justitiam; non
tradas me calumniantibus me.
3. Suscipe servum tuum in bonum:
non calumnientur me superbi.

XXVIII. D I E S.

FAc cum servo tuo secundum mi-
sericordiam tuam: & justificatio-
nes tuas doce me.

2. Servus tuus sum ego: Domini
intellectum ut discam mandata tua.
3. Tempus faciendi Domine; dissi-
paverunt legem tuam.

XXIX. D I E S.

1. **A** Spice in me & miserere mei:
secundum judicium diligen-
tium nomen tuum.

2. Faciem tuam illumina super ser-
vum tuum, & doce me justificationes
tuas.
3. Clamavi ad te salvum me fac: &
custodiam mandata tua.

XXX. D I E S.

V Ide quoniam mandata tua dilexi
Domine: in misericordia tua vi-
vifica me.

2. Septies in die laudem dixi tibi:
super judicia justitiae tuæ.

3. Appropinquet deprecatio mea,
in conspectu tuo Domine: juxta elo-
quium tuum, da mihi intellectum,
intret postulatio mea in conspectu tuo;
secundum eloquium tuum eripe me.

XXXI. D I E S.

1. **P**rotector noster aspice Deus:
& respice in faciem Christi tui;
propter David servum tuum: non aver-
tas faciem Christi tui.

2. Unam petii à Domino, hanc re-
quiram; ut inhabitem in domo Do-
mini omnibus diebus vitæ meæ, ut
videam voluptatem ejus.

3. Quemadmodum desiderat cer-
vus ad fontes aquarum, ita desiderat
anima mea ad te Deus: Deus cordis
mei, & pars mea Deus, in Æternum:
adimplebis me lætitiam cum vultu tuo.
Satiabor cum apparuerit gloria tua. In

manus tuas Domine commendo spiritum meum.

**TERTIUM EXERCITIUM
CHRISTIANÆ PIETATIS.**

*Oratio Divini Oratoris Domini nostri
JESU CHRISTI:*

*Præceptis salutaribus, & Divina in-
stitutione formati, audemus dicere*

PATER NOSTER.

Deus, unus, trinus, omnipotens? tu es Pater omnium hominum, per creationem, quâ nos omnes ad imaginem tuam mirabiliter formasti. Tu es Pater omnium Christianorum per regenerationem, quâ omnes Sacro Baptismate in Christo renatos mirabilius reformati, & ejus membra mystica Sancto Spiritu vivificata Divinitus effecisti. Tu es Pater electorum in dilecto, dilecto Deo. Homine illustrissimo Exemplari prædestinorum, ad vitam æternam; qui tibi similes erunt

in gloriâ tuâ, quando adimplebis eos gaudio tuo, & omni bono; ostendens illis vultum tuum, essentiam tuam, quam revelata facie in æternum contemplabuntur, sibi in illa complacentes, sicut tu in illis; ô Beata Trinitas Deus, unus, trinus, omnium principium & finis, omnes electos tuos Beatos in te solo reddens, ô Pater noster.

Qui es in Cœlis.

QUAMVIS ubique sis præsens per essentiam, potentiam, & immensitatem, in Cœlis tamen Beatorum; ut in Throno Majestatis tuæ resides: ubi omnes qui ibi sunt & erunt, Divinitatem tuam in Trinitate, sicut est in se intuitivè videbunt & contemplabuntur in perpetuas Æternitates: quâ visione, dilectioni, & fruitioni tuæ in divisim conjunctâ; omnes contemplatores, amatores, & possessores tuos beabis; & omni bono ac gaudio cumulabis, in sæculum sæculi.

Tu es in Cœlis Ecclesiæ tuæ militantis, in Templis tibi Soli Deo, unito, dicatis, ubi substantialiter abs-

conditus continetur in Eucharistico Sacramento, totus Christus Rex Gloriæ, Cœlum cœli, Dominus Cœlorum omnium. Tu es speciali quodam inefabili & verissimo modo in omnibus justis, qui sunt in Cœlis, & super terram; qui Sancto Spiritu tuo vivificati, sunt Cœli tui mystici, in quibus jucundissimè habitas, & te illis communicas, & es omnia in omnibus.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

IN gentibus, quæ te ignorantes, Sanctum tuum Nomen non invocant. Sanctificetur in mundi amatoribus, & in omnibus, qui se Christianos verbis profitentes, vel non credunt in corde, vel fidei veræ, corruptis moribus, & factis impiis contradicunt; per quos Nomen tuum blasphematur in gentibus. Sanctificetur in dies magis in spiritualibus adoratoribus tuis, ut de virtute in virtutem, in sanctitate & justitia coram te semper procedant, crescant & proficiant, usque ad perfectum diem gloriæ suæ in sinu divinitatis tuæ.

II. *Adveniat regnum tuum.*

Per abbreviationem dierum malorum regni iniquissimi Principis hujus mundi, in maligno positi.

Per propagationem regni Christi Iesu, Ecclesiæ suæ militantis, ut prædicetur Evangelium ejus in universo mundo.

Per gloriosum adventum Regis Regum omnium Judicis, qui reddet unicuique secundum opera ejus: accende in cordibus tuorum, ardentissimum desiderium, videndi Regem Gloriæ, in Throno Majestatis suæ, super omnia ad Patris dexteram exaltatum.

III. *Fiat voluntas tua: sicut in Cælo, & in terra.*

Fiat in hominibus de terra terrenis peregrinantibus à te voluntas tua, bona, beneplacens, & perfecta; sicut fit in cælestibus intelligentiis, & in animabus beatis: quæ nil volunt nisi quod vis; sicut vis, & quia vis, nihil ultra desiderantes.

IV. *Panem nostrum quotidianum
da nobis hodie.*

Panem rerum necessiarum, ad hanc vitam mortalem, quantum expedit ad gloriam tuam conservandam tibi. Panem verbi tui, quo mentes nostræ æternis veritatibus absconditis à sapientibus & prudentibus, illuminentur de die in diem, & corda piis affectibus, & ardentibus desideriis divinæ tuæ dilectionis accendantur; maximè verò da panem illum cælestem supersubstantialem, ipsum omnium bonorum, omnis gratiæ & gloriæ auctorem continentem, in se substantialiter: quo vescentes quotidie post congruam nostri probationem; in ipsum, qui est vita nostra, per Eucharisticam communionem, transformati, ac divinitate & humilitate ejus saginati: non vivamus nisi per ipsum, sicut ipse, & propter ipsum, in te Deo vitæ nostræ.

V. *Et dimitte nobis debita nostra;*
sicut & nos dimittimus debi-
toribus nostris.

DE cordibus nostris, nulli redentes malum pro malo, orantes pro persequentibus nos; benefacientes propter Nomen tuum: iis qui odrunt nos gratis. Dimitte igitur debita nostra, quæ contraximus tripliciter, cogitatione, verbo, & opere, sive omissione bonorum quæ præcipiebas, sive commissione malorum quæ vatabas, sive ex ignorantia, sive ex malitia, sive ex fragilitate; sicut & nos omnia omnino dimittimus debitoribus nostris, ut misericordiam tuam consequamur.

VI. *Et ne nos inducas in temptationem.*

COncupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiciæ vitæ, quæ semper nos ad peccatum alliciunt, & ab ipso maligno spiritu ascenduntur. Ne ergo finas nos succumbere temptationi, quâ inimici nostri

visibiles & invisibiles, extra & intra nos conantur separare tuos à te: da nobis, gratiam illam magnam, cum quā legitimè certantes vincemus omnia, quæ militant adversus animam.

VII. *Sed libera nos à malo.*

PRæterito, cujus plagæ tanto sunt periculosiores, quanto minus sentiuntur à nobis; præsenti, quo gravamur: & futuro quo involvemur; nisi singulari tuo auxilio arceantur à nobis.

Amen.

Ita sit, ita fiat, sic à te exaudiamur, bonis tuis cumulemur, ab omnibus malis eripiamur & liberemur, ut tibi soli Deo, uni, trino, vivamus, & sis solus omnia in tuis omnibus.

Ex intelligentiâ hujus Orationis Dominicæ, patet omnes ejus petitiones sic esse à Christo, Divino Oratore nostro ordinatas: ut à Dei Patris nostri cœlestis infinitâ bonitate obtineamus donum perseverantiæ finalis in gratia

& charitate ejus, quâ introducamur
in vitam æternam: de hac perseve-
rantiâ dixit Christus, qui persevera-
verit, usque in finem: hic salvus erit.

S A L U T A T I O
A N G E L I C A.

HÆc Salutatio à Spiritu Sancto
dictata: composita est, ex ver-
bis Sancti Archangeli Gabrie-
lis, Sanctæ Elizabeth, Matris præ-
cursoris Verbi Incarnati, & ex
Verbis Sanctæ Ecclesiæ: quæ il-
lam ita ordinavit, ut per interces-
sionem potentissimam Dei Genitri-
cis Virginis M A R I Æ, Advoca-
tæ nostræ apud Sanctissimam Tri-
adem, obtineamus facilius, & abun-
dantiis, quæ à Patre nostro cælesti
Deo, uno, trino, petimus, per Ora-
tionem Dominicam: cui proindè im-
mediate subnectitur hæc Salutatio An-
geli, Elizabethæ, Ecclesiæ Sanctæ:
ut autem sapienter, piè, & reveren-
ter; spiritu, & mente, ex abundan-
tiâ cordis, Matrem illam admirabilem,
Reginam Angelorum & Sanctorum
omnium

omnium Dei Genitricem salutemus,
omnes animæ illuminatæ potentias, di-
latemus in congregazione Sanctorum.

Ave Maria.

Domina exaltata super omne quod
Deus non est, illuminata à princi-
pio creationis tuæ, in initio viarum
tuarum, primogenita inter omnes
creaturas puras: tu una supergressa
es universas, ideo omnium nomine te
saluto: *Ave Maria.*

Gratia plena.

Triplici plenitudine, in quam se
infundit, tota plenitudo gratia-
rum: auctoris gratiæ solis justitiæ, Re-
gis Gloriæ, Sancti Sanctorum Gratia
plena ab initio Immaculatæ Concep-
tionis tuæ; primo illo momento luci-
dissimo, quo grata, & Sancta, ac
charitate tota ignita anima tua, creata
est a Deo: & unita Corpori tuo Virgi-
nali, Cœlis & Spiritibus Beatis purio-
ri, gratiæ plenioris abundantia super-
impta, in Conceptione Verbi Incar-
nati in te, & ex te solâ de Spiritu San-
cto concepti.

Y

Gratiâ plenissimè cumulata, in ultimo sanctissimæ tuæ vitæ mortalis momento, & transitu ad immortalem.

Dominus tecum.

Qui te ab æterno, inter omnes Personas creatas & creandas singulatim dilectam, elegit, electam prædestinavit, prædestinatam vocavit ad consummandum in te, per te, & tecum opus novum omnium suorum operum Divinissimum, Verbi Incarnati ex te mysterium: maximum scientiæ, omnipotentiæ & pietatis Divinæ Triadis Sacramentum. Quod enim natum est ex te Sanctum, vocatum est Filius Dei, unigenitus Patris Virginis: idemque unigenitus tui sinus virginalis, qui sic fuit tecum ab initio, Dominus tuus & Deus tuus, semper est & erit tecum: & tu cum illo, dilectus tuus tibi, & tu illi; in te in æternum commorabitur, qui est in te omnia.

Benedicta tu in mulieribus.

Tu omnium omnino, in te unâ: quæ in universas sunt dispersæ

Benedictiones, gratiæ, perfectiones, perfectissimè colligis & supereminenter possides, & quod unicum tuum est privilegium, gaudia Matris habes. Cum Virginitatis honore, semper Virgo in æternum manens, Dei Genitrix verè Dei-para, Mater admirabilis, quia non est impossibile apud Deum omne Verbum: Beata quæ credidisti, & quem genuisti ex te, in spiritu & veritate adorasti, atque ex toto dilexisti.

Benedictus fructus Ventris tui JESUS.

O Mnis tuæ Benedictionis, origo, fons, principium, medium, finis, gaudium & corona tua Deus-Homo, totus tuus, Emmanuel tuus.

Sancta Maria Mater Dei: ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostris. Amen.

Impetra mihi & omnibus, qui te mecum invocant tres magnas gratias, 1. Remissionem peccatorum omnium, 2. Magnum gratiæ in dies incrementum, 3. Et finalem in consummata charitate perseverantiam. Amen.

T R E S - O R A T I O N E S
*Sancte Mechtildis ad B. Virginem Dei
 Genitricem pro obtainenda felici morte.*

I.

O Domina mea Sancta MARIA:
 Dei Genitrix Virgo sicut Deus
 Pater, per Omnipotentiam
 suam, te potentissimam effecit: ita
 mihi quæso adfis in hora mortis meæ,
 expellendo à me omnem contrariam
 potestatem. *Ave Maria.*

I I.

O Domina mea Sancta MARIA:
 Dei Genitrix Virgo, sicut te Fi-
 lius Dei, unigenitus tuus, tanta sui
 cognitione donavit: ita in hora mortis
 meæ animam meam, fidei luce sic il-
 lustrari, & corroborari intercede, ut
 nullo errore aut ignorantia perver-
 tur. *Ave Maria.*

I I I.

O Domina mea Sancta MARIA:
 Dei Genitrix Virgo, sicut Spiritus
 Sanctus, suum amorem tibi plenè
 infudit, ita in hora mortis meæ dul-

cedinem amoris Divini, mihi infundi
præcare, ut omnis amaritudo mihi red-
datur suavissima, & Divinâ gratiâ robo-
ratus omnia vincam. *Ave Maria.*

Audi Verbum Verbi Dei Incarnati
J E S U S - C H R I S T I Crucifixi, tibi
dicentis:

Ecce Mater tua.

MARIAM Virginem Dei Gen-
tricem, accipe in tuam: illam
honora, dilige; cole, invoca, glori-
fica, usque in finem vitæ tuæ, obti-
nebit tibi felicem mortem optima Ma-
ter.

SELECTÆ ORATIONES
ECCLESIAE MILITANTIS.

*Hymnus & Oratio ad obtainendum Prin-
cipibus Christianis, & omnibus fide-
libus Spiritum Sanctum, Patris &
Filii Eternum Vinculum, & omnis
Sancti fæderis firmamentum.*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,

Y 3

Donum Dei Altissimi,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei, tu digitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri Corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.

Gloria Patri Domino,
Natoque, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In sæcula sæculorum. Amen.

℣. Emitte spiritum tuum, & crea-
buntur,

℟. Et renovabis faciem terræ.

I. ORATIO.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere; & de ejusdem semper consolatione gaudere: Per Dominum nostrum J E S U M - C H R I S T U M, qui tecum vivit & regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

II. ORATIO.

*Ad obtainendum firmitatem, in fide
Sanctissime Trinitatis.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei, Aeternae Trinitatis Gloriam agnoscere; & in Potentiam Majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus muniamur adversis: Per Dominum nostrum J E S U M - C H R I S T U M, filium tuum qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

III. ORATIO.

*Ad obtainendum libertatem Filiorum
Dei, per novam Nativitatem
unigeniti Patris.*

Concede quæsumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui, nova per Carnem Nativitas, liberet, quos sub peccati jugo, vetusta servitus tenet: qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus. Amen.

IV. ORATIO.

*Ad obtainendum visionem Beatificam
Divinae Trinitatis.*

Deus qui Unigenitum tuum, gentibus, stellâ duce revelasti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognoscimus, usque ad contemplandam speciem tuæ Celsitudinis perducamur: Per eundem Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Amen.

V. ORATIO.

*Ad obtainendum per Eucharistiam, per-
petuum fructum nostræ Redemptionis.*

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam

reliquisti; tribue quæsumus, ita nos
Corporis, & Sanguinis tui sacra myste-
ria venerari, ut Redemptionis tuæ fru-
ctum in nobis jugiter sentiamus: qui
vivis & regnas cum Deo Patre, in uni-
tate Spiritus Sancti Deus.

• VI. ORATIO.

*Ad obtainendum perpetuum timorem, &
amorem Dei super omnia.*

Sancti Nominis tui Domine, timo-
rem pariter & amorem, fac nos ha-
bere perpetuum; quia nunquam tuâ
gubernatione destituis, quos in solidi-
tate tuæ dilectionis instituissis: Per Do-
minum nostrum J E S U M - C H R I S-
T U M, filium tuum, qui tecum vivit &
regnat, in unitate Spiritus Sancti
Deus. Amen.

• VII. ORATIO.

*Ad obtainendum sessionem ad dexteram
Christi in die ultimi Judicii.*

Domine J E S U - C H R I S T E, qui
de Cœlis ad terram de sinu Patris
descendisti, & Sanguinem tuum pre-

tiosum, in remissionem peccatorum, nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut in die judicii, ad dexteram tuam, audire mereamur, venite Benedicti: qui vivis & regnas, cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sanctissima Trinitas unus Deus, ad majorem gloriam Nominis tui: per magnum infinitæ pietatis tuæ Sacramentum, in Deo-Homine JESU-CHRISTO, omnium hominum, maximè fideliūm Salvatore, consummatum: miserere nobis, dele omnia peccata nostra: ne permittas nos separari à te, sed invocantes te, confirmas in gratiâ tuâ; & jube nos, in electorum tuorum grege numerari: ut in Æternum fruamur te, Deo, uno, trino, qui solus es qui est Deus noster & omnia. Amen.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in Principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Milites Christiani, qui pro gloriâ Crucis Christi Deo exercituum, impellente ad Bellum Sacrum, contra

Ecclesiæ militantis inimicos. procedunt: æmulari debent Sanctos Martires, omni desiderio exoptando totum Sanguinem effundere pro Imperatore suo optimo, Rege Regum JESU-CHRISTO, qui in Cruce semet ipsum obtulit pro omnibus: propo-
nant igitur sibi quotidie Exemplum Regis Martyrum, & omnium qui pro ejus Nominis sanguinem suum effude-
rent: illorum Herorum magnanimis actibus semetipso compellant, ad præliandum prælium Domini cum lætitia, ut faciebant generosi Machabæi: quos non solum imitatus est, sed etiam superavit Sanctus Mauritius, Mars Christianus, cum suis: nunquam enim tam fortiter, pro sua urbe Hebræus aut Romanus miles, quam pro fide Catholicâ Romanâ, Tebææ Legionis Dux decertavit. Enim verò stetit immobilis, inermis & nudus, in acie cum suis commilitonibus Mauritius, palo alligatus, meile illitus, innumeris vesparum aculeis confos-
sus, & tamen vel sic, triumphator vicit; in parvis bestiolis maxi-
mum tyrannum; mortemque demum

obiiit melle quo manabat dulciorem:

Triumphos Martyrum fidelibus suis, ponit ob oculos, Ecclesia militans in terris, sub Christi vexillo, ut illos imitari non pigrat quod celebrare delectat.

Audiant ergo generosi Milites ad Sacrum Bellum vocati; verba exhortatoria Sponsæ Reginis Martyrum Christi J E S U, omnium Christianorum Imperatoris.

SAntorum meritis inclita gaudia;
Pangamus socii, gestaque fortia,
Gliscens fert animus promere cantibus

Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos fatuè mundus abhorruit,
Hunc fructu vacuum, floribus aridum,
Contempsere, tui nominis assec læ,

J E S U Rex bone Cœlum.

Hi pro te furias, atque minas truces,
Calcarunt hominum, sævaque verbera,
His cessit lacerans, fortiter ungula,

Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde impavido, mens bene conscientia

Conservat patientiam.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere?
Quæ tu Martyribus munera præparas?

Rubri nam fluido Sanguine fulgidis

Cingunt tempora Laureis?

Te summa ô Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam,

Annorum in seriem canant. Amen.

Trinitas Divina, Deus, unus, trinus, qui nos Sanctorum Martyrum, tuorum Triumphis lætificas, concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis: Per JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum.

H Y M N U S

Sancti Ambrosii & Augustini.

TE Deum laudamus, te Dominum confitemur,
Te Æternum Patrem, omnis terra
veneratur,
Tibi omnes Angeli, tibi Cœli & Uni-
versæ potestates,
Tibi Cherubim & Seraphim, incessa-
bili voce proclamant,
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus
Dens Sabaoth,
Pleni sunt Cœli, & terra Majestatis
gloriæ tuæ,

Te gloriosus Apostolorum chorus,
 Te Prophetarum laudabilis numerus,
 Te Martyrum candidatus, laudat
 exercitus,
 Te per orbem terrarum, Sancta con-
 fitetur Ecclesia,
 Patrem immensæ Majestatis,
 Venerandum tuum, verum & uni-
 cum Filium,
 Sanctum quoque Paraclitum Spiritum,
 Tu Rex Gloriarum Christe JESU,
 Tu Patris, sempiternus es Filius,
 Tu ad liberandum suscepturus homi-
 nem,
 Non horruisti Virginis uterum,
 Tu devicto mortis aculeo, aperuisti
 credentibus regna Cœlorum,
 Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria
 Patris,
 Judex crederis esse venturus,
 Te ergo quæsumus tuis famulis subveni,
 quos pretioso Sanguine redemisti,
 Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria
 numerari:
 Salvum fac populum tuum Domine,
 & benedic hereditari tuæ,
 Et Rege eos, & extolle illos usque in
 æternum,

Per singulos dies benedicimus te, &
laudamus nomen tuum in sæculum,
& in sæculum sæculi,

*Dignare Domine die isto sine peccato nos
custodire,*

*Miserere nostri Domine, miserere no-
stri,*

*Fiat misericordia tua Domine super
nos, quemadmodum speravimus
in te,*

*In te Domine speravi, non confundar
in Æternum.*

*Pater, Verbum & Spiritus Sanctus,
hi tres unum sunt.*

Omnes omnino creaturæ, qua si non
sint: sic sunt coram Deo, uno, trino,
& quasi nihilum & inane, reputatæ
sunt ei, qui solus est, qui est. Soli ergo
Deo, uni, trino, omnis honor, amor
& gloria. Amen.



QUARTUM EXERCITIUM
MILITARE CHRISTIANÆ
PIETATIS.

*Brevis instructio militibus Christianis,
ad Bellum Sacrum euntibus
commendanda.*

MILES Christianus singulis diebus ter, mane, sub meridiem, & vesperi signo Crucis se muniat, & præiertim cum accingit se ad prælium; sicut faciebant Sanctus Martinus, Sanctus Georgius, & Sanctus Mauritius, qui signo hoc salutari, armati intrepidi; sicut leones ignem spirantes in hostes irruerant. Dicant ergo signantes se reverenter, attente, & pie hoc signo salutis. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde.

1. Elicant actus fidei in Sanctissimam Triadem, & in JESUM-CHRISTUM: profitendo se velle pugnare, & mori: ut decet veros, & generosos milites Sanctæ Ecclesiæ, Catholicæ, & Romanæ: Exempli gratia: Credo in unum Deum trinum, Patrem Filium, & Spiritum.

& Spiritum Sanctum Creatorem omnium: & in unum JESUM-CHRISTUM, Deum-Hominem, omnium hominum Salvatorem, pro omnibus in cruce mortuum; pro cuius gloria vellem cum ejus gratia in hoc Bello Sacro Sanguinem meum effundere.

2. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Dignare Sanctissima Trinitas unus Deus, per nomen JESU-CHRISTI, die isto me, & omnes meos commilitones, sine peccato custodire: Miserere nostri Domine, miserere nostri: fiat misericordia tua super nos; nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

3. Sancta MARIA Dei Genitrix, Mater admirabilis, Sanctus Michael, Princeps militiae cœlestis, Sancti nostri Angeli custodes, Sanctus Joseph, & omnes Sancti Dei, intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari & salvari, nunc & in horâ mortis nostræ: Per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM. Et fidelium animæ, per misericordiam

Z

Dei requiescant in pace. Amen. Quibus dictis recitent reverenter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ad obtainendum finem optatum Belli Sacri.

Sic Milites Christiani, ter in die exerceant se ad pietatem, declinentque à peccato mortali, maximè à latrociniis, impudicitiis, ebrietatibus, & blasphemis.

4. Ut obtineant à Dei bonitate gratiam, moriendi in statu gratiæ; cum pauci possint Sacramentis Ecclesie muniri, ob defectum Sacerdotum: quotidiè ad hos actus præcipuos Christianæ pietatis, assuecant, non solùm milites, sed etiam Duces, ac Præfecti castrenses.

1. Credo in te Deum, unum, trinum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: utinam hanc fidem in te Deum meum Sanguine meo confirmare merear.

2. Superspero cum omni fiduciâ in te Deum optimum & omnipotentem, cuius misericordiæ non est numerus.

3. Doleo ex toto corde, quia peccavi tibi Deo meo: propitius esto mihi

peccatori propter merita J E S U
C H R I S T I, Crucifixi pro me. Malo
mori pro te in hoc Bello tuo, quam
peccare in te.

4. Diligo te super omnia propter te,
ô infinita bonitas, Deus meus chari-
tas mea!

5. O Divina Trinitas, in manus
tuas commendo animam meam, cum
Spiritu J E S U mei Crucifixi & mortui
pro me. Mi J E S U esto mihi J E S U S,
fuscipe spiritum meum, Sanguine tuo
Redemptum.

6. Trinitas Divina, Deus meus &
omnia, miserere mei.

7. J E S U S J E S U S esto mihi J E S U S.

8. M A R I A monstra te meam apud
Deum J E S U M. Amen.



Milites Christiani singulari cum
fiduciâ invocent quotidiè Reginam
Cœli, & terræ Dominam, terribilem,
inimicis Christi, sicut castrorum acies
ordinata.

ANTIPHONA ECCLESIA

Ad Reginam Matrem Regis Regum.

S Alve Regina, Mater misericordiæ; vita, dulcedo, & spes nostra
salve, ad te clamamus, exules filii
Evæ; ad te suspiramus gementes &
flentes in hac lacrymarum valle, *Eia*
ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes
oculos ad nos converte, &
JESUM Benedictum fructum Ventris
tui nobis post hoc exilium ostende; ô
Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MA-

R I A.

Y. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui
gloriosæ Virginis Matris MARIAE,
corpus & animam ut dignum filii tui
habitaculum effici mereretur, Spiritu
Sancto cooperante, præparasti: da ut
cujus commemoratione lætamur, ejus
piâ intercessione ab instantibus malis,
& à morte perpetuâ liberemur: Per
eundem Christum Dominum nostrum.
Amen.

Divinum auxilium maneat semper
nobiscum: & fidelium animæ per mi-
sericordiam Dei requiescant in pace.
Amen.

QUINQUE INCITAMENTA
Ad accendendum in cordibus militum,
Ducum, & Principum Christiano-
rum, ignem divinæ pietatis,
ad omnia utiliis.

I.

Ante omnia semper in mente
habe Deum, unum, trinum,
omnipotentem, omnia viden-
tem, omnibus præsentem, optimum,
& justissimum, ditissimum in omnes
qui invocant illum; remuneratorem
bonorum, ultorem iniquorum: nil ita
time quam Deum habere inimicum;
nil ita desidera, quam Deum tuum ha-
bere amicum: quia felix est amicus
Dei, inimicus miser.

II.

SEmper aspice in auctorem, & con-
summatorem fidei tuæ, Deum-
Hominem JESUM-CHRISTUM,

Z 3

exinanitum, Crucifixum, glorificatum, ad dexteram altissimi: ut omnium corda, trahat ad seipsum.

III.

SEmper Immaculatam, Virginem Dei Genitricem, Matrem admirabilem MARIAM, Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei; Matrem Divinæ gratiæ, & misericordiæ, ac Reginam Sanctorum omnium: quam Unigenitus ejus Filius, in Cruce moriens dedit omnibus fidelibus in Matrem: accipe in tuam, ne dimittas eam; in voca, dilige, honora ut Dei Matrem.

IV.

SEmper unam, Sanctam, Catholica, Apostolicam, ac Romanam, Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, & Christianæ pietatis, omnium Filiorum lucis Matrem, & magistrum: ejusque in primis unicum visibile caput, universalem gregis Dominici Pastorem, Christi in terris summum Vicarium, Pontificem maximum agnosce, audi, sequere, tuere usque ad mortem;

nulla potentia, te avellat à sinu Sanctæ
Romanæ Ecclesiæ, extra quam nulla
est salus.

V.

SEmper memorare novissima tua;
respiciens finem tuum, & sic cum
Dei gratiâ labora, pugna, legitimè cer-
ta, ut merearis coronam Justitiae recipi-
re, de manu remuneratoris optimi, &
æquissimi: firmissimè credens, quia qui
creavit, & redemit te sine te, non sal-
vabit te sine te. Etenim non erit, in te
omnipotens operator salutis tuæ, nisi
cum ejus auxilio, sis cooperator Sal-
vatoris tui. Gratia Dei tecum, vide ne
in vacuum, gratiam Dei accipias, si
enim non est Dei gratia, quomodo
Deus salvat mundum, & si non est li-
berum arbitrium, in vacuum gratiam
Dei recipiens, quomodo justus Judex
damnat mundum? hoc brevissimum
tene: nec te gratia necessitat ad bonum,
nec tentatio necessitat ad malum, nec
Deus impossibilia jubet, sed jubendo
monet, & facere quod possis, & petere,
quod non possis, & adjuvat ut possis:
ergo perditio, tua Israël, in Deo tan-
tummodo auxilium tuum.

Z 4

DECEM VERBA

Salutaria perpetuò recolenda ab omnibus fidelibus.

1. **T**rinitas Divina, Deus meus & omnia.
2. Deus-Homo Christus JESUS, vita mea.
3. **M A R I A** Virgo Dei-para, Mater mea.
4. Ecclesia Dei vivi, sola Catholica Romana, extra quam salus nulla.
5. Spiritualis anima, ad imaginem Dei creata in Christo JESU renata: hæc una salvanda.
6. Dei gratia, cum libertate humanâ, nec ad bonum, nec ad malum necessitata.
7. Judicia Dei æquissima, inscrutabilia, abyssus multa; & novissima semper memoranda.
8. Charitas, vera dilectio Dei, & proximi: pietate Eucharisticâ inflammata, vincit omnia.
9. Finalis perseverantia in sanctitate consummata.
10. Vita Æterna, justitiae corona: in

Divinæ Trinitatis possessione perfe-
cta: Ecce omnia.

ACTUS DIVINI

*Heroum Christianorum Victorum mun-
di, filiorum Altissimi, Coheredum,
Regis Regum Hominis Dei.
JESU-CHRISTI.*

I. Actus.

D Eo, uni, trino, omnium Prin-
cipio & fini, ex toto corde ad-
hærere.

II.

IN Auctorem & consummatorem
fidei Deum-Hominem JESUM-
CHRISTUM, Crucifixum, Salvato-
rem omnium hominum, maximè fi-
delium, semper aspicere: & ejus no-
men, cum omni fiduciâ invocare.

III.

IN diebus hujus mortalitatis, &
Belli perpetui, contra inimicos Dei,
Carne & Sanguine Agni Immaculati
JESU-CHRISTI, Corpus & ani-
mum sœpissimè, spiritualiter & sacra-
mentaliter, cibare, confortare, saginare,

Cum magno Dei auxilio, prospere
ra mundi despicere, nulla ejus
adversa formidare: semetipsum abne-
gare, & vincere quotidie.

V.

Cupere dissolvi, & totum Sangu-
inem effundere pro Christo Deo
Iesu nostro, qui tradidit semetipsum
pro nobis: & Aeternam Beatissimæ
Triadis visionem omni desiderio desi-
derare.

Hi sunt quinque Actus Divini He-
roum Christianorum, qui ad majo-
rem gloriam Divinæ Trinitatis, &
Christi Iesu, atque Ecclesiæ Dei
vivi: sua omnia, & seipso in perfe-
ctum holocaustum consummatæ cha-
ritatis; Deo, uni, trino, consecra-
verunt.

His actibus Heroicarum virtutum;
Sancti Henrici, Ludovici, Ferdinandi,
Eduardi, Stephani, Hermenigildi,
Casimiri, omnes invictissimi, ac
Christianissimi Imperatores, Reges,
Principes Ecclesiæ militantis, magnâ

gratiâ Christi , qui dat victoriam ro-
borati , in Bello Sacro , legitimè cer-
tantes , usque in finem , de omnibus
Dei & Christi J e s u inimicis , trium-
phaverunt : & ideo à Rege Gloriæ ,
justitiæ coronam receperunt in Re-
gno Dei .

His actibus Christianæ charitatis ,
pietatis , magnanimitatis , cursum con-
sumemus , fidem servemus , Dei gra-
tia , sine qua nihil possumus , roboran-
te infirmitatem nostram ; & cum illâ
legitimè certantes : tantis Exemplis
Sanctorum Apostolorum , Martyrum
Virginum , Regum , Procerum & mi-
litum Christianorum , qui nos ad hoc
Bellum Sacrum præcesserunt ; & sine
intermissione adhortantur , sic anime-
mur , & accendamur ; ut imitari non
pigeat , quod celebrare delectat ; sed
eorum incitemur factis hæroicis , quo-
rum gloriamur triumphis . Sic certan-
do , Dux Belli Sacri , Rex Regum ,
Christus Deus noster , victor om-
nium , per Crucem , semper vincet in
nobis & nobiscum , qui semel vicit pro
nobis .

Audiamus Apostolum J e s u -

CHRISTI, debellatorem Gentium:
 „Apparuit gratia & benignitas Salvatoris nostri Dei erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sacerularia desideria, sobrietate, justitia, & piety vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu-CHRISTI; qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, Tit. 2.

Audiamus Principem Apostolorum, primum in terris Christi Vicarium, & supremum totius Ecclesiae militantis Ducem, omnes Christianos, Christi milites, ad Bellum Sacrum adhortantem: Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocacionem & electionem faciatis: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando: sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Iesu-CHRISTI. 2. Can. Cap. 1.

Audiamus dilectum Discipulum,

quem diligebat J E S U S ; Quoniam, in-
quit, omne quod natum est ex Deo
„ vincit mundum : & hæc est victoria,
„ quæ vincit mundum fides nostra ;
„ quis est qui vincit mundum ? nisi qui
„ credit quoniam J E S U S est Filius
„ Dei. 1. Joa. 5.

Audiamus ipsum Verbum Increa-
tum, & Incarnatum ; quod erat in
principio ab Æterno, Verbum quod
erat apud Deum, Verbum Deum,
per quod omnia facta sunt, & quod
ipsum Caro factum est, & habitavit in
nobis, conceptum de Spiritu Sancto,
natum ex M A R I A semper Immacu-
latâ, semper Virgine Dei Genitri-
ce: Quid dixit Verbum illud Caro fa-
ctum ? Quod Apostolis dixit, omnibus
„ Christianis dicit : Exemplum dedi
„ vobis, ut quemadmodum ego feci,
„ ita & vos faciatis; non est servus me-
„ lior Domino suo, si me persecutis sunt
„ & vos persequentur; opportuit Chri-
„ stum pati, & ita intrare in gloriam
„ suam. Regnum Cœlorum vim pati-
„ tur, & violenti rapiunt illud; con-
„ tendite intrare per angustam por-
„ tam: in mundo pressuram habebitis;

Aa

„ sed confidite ego vici mundum. Ec-
„ ce ego vobiscum sum usque ad con-
„ summationem sæculi.

Denique hæc dicit Rex Regum
Dominus dominantium, primogenitus
mortuorum, viator omnium per Cru-
cem, magnus Dux exercituum Dei
vivi: Qui habet aurem audiat, Verbum
glorificatum, hoc omnibus dicit: *Qui
vicerit faciam illum sedere mecum in
throno meo; sicut & ego vici, & sedeo
cum Patre meo in throno ejus.*

Divina Trinitas, per JESUM, Deum-
Hominem Salvatorem meum, & Vir-
ginem Dei Genitricem MARIAM,
omnium electorum Matrem, in horâ
mortis meæ, viatico Eucharistico, sic
robora me: ut te donante, omnia vin-
cam; & te Deum, verum, vivum,
unum, trinum, optimum, in Æter-
num, videam, diligam, possideam. Hæc
sit tot laborum, expeditionum & præ-
liorum merces magna nimis.

Hæc militiæ Christianæ clausula, ac
consummatio: hæc generosorum Chri-
sti militum corona: hic esto felix exi-
tus, atque optatissimus, Belli Sacri

F I N I S.



ELENCHUS

*Summorum Pontificum, Cardinalium,
Episcoporum, Ecclesiasticorum: at-
que Heroium, Principum, Regum,
Imperatorum Christianorum, ma-
xime Austriacorum, fidei propu-
gnatorum; quorum nomina, dicta,
& facta præclara, hic referuntur.*

SUMMI PONTIFICES.

I.

GREGORIUS VII. creatus
Papa præcedentibus Pro-
phetiis, primus Expeditio-
nem paravit in Orientem,
adversus Saracenos; quæ interrupta
est ab Henrico IV. schismatico, ex-
communicato.

Urbanus II. Natione Gallus, au-
ctor expeditionis in infideles, Æter-
nam sibi Gloriam comparavit. Urba-
ni cœpta constanter prosecuti sunt suc-
cedentes Pontifices Romani; videlicet

A. a. 2

cet : Paschalis II. Gelasius II. Calixtus II. Lucius II. Eugenius III. Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Eugenius IV. Nicolaus V. Calixtus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Leo X. Adrianus VI. Gregorius X. Paulus III. Pius IV. Pius. V. Gregorius XIII. Innocentius X. Clemens IX. denique Innocentius XI. Qui zelo prædecessorum suorum accensus, Clangore Buccinæ Apostolicæ, omnes Christianos Principes, ad Bellum Sacrum convocat, & modis omnibus urget, & stimulat.

II.

Purimi Cardinales, Episcopi, Ecclesiastici, Bellum Sacrum promovere conati sunt, inter quos: Julianus Cæsarinus, Bessarion, Raterus, Rodericus Borgia, Oliverius Carafa, Cardinales S. R. E. & alii. Ex Episcopis Ademarus Podiensis, Legatus Apostolicus, Bernardus Archiepisco-

Ca-
III-
anus
III.
Ho-
cen-
us V.
Six-
co X.
aulus
orius
IX.
zelo
nsus,
om-
ellum
nibus

pus Toletanus, Willelmus Archiepiscopus Tyri, Otto Frisingensis Archiepiscopus, Simeon Patriarcha Hierosolymitanus; qui supplices litteras scripsit ad Urbanum II. Daibertus Patriarcha Hierosolymitanus, Ludovicus Patriarcha Aquileiensis, aliquique multi.

Ex viris illustribus Ecclesiasticis, Petrus Eremita prodromus Belli Sacri, missus ab Urbano II. per Europam ut Bellum Sacrum, ejus nomine prædicaret: Sanctus Bernardus, sui sancti Thaumaturgus: Joannes Capistranus Minorita, aliquique plurimi; quibus addenda Sancta Virgo Catharina Senensis, quæ summos Pontifices Gregorium XI. & Urbanum VI. instanter ad Bellum Sacrum excitavit.

III.

Heroës, Principes, Reges, & Imperatores Christiani, qui pro gloriam Crucis militaverunt contra infideles, plurimi sunt; paucos feligo ex illustrioribus.

Georgius Castriotus, dictus à Turcis Scanderbegius, seu Alexander

Aa 3

magnus, Joannes Hunniades, dictus Fulmineus, Joannes Tarnovius, Boëmundus, & Rogerius Fratres, Sici-liæ, Apuliæ, & Cantabriæ Princi-pes; Tancredus Filius Rogerii; Dux Vaivoda, Philippus Comes Flandriæ, Catalacus Dux exercituum Imperato-
ris, Henricus Dux Noricorum, Ma-ximilianus Bavarus Domitor Hæreti-corum, Joannes Austriacus, & mul-ti alii.

Godefridus Bullionius, Dux Lo-thai ingiæ, captâ Hierosolymâ in pri-mâ expeditione, sub Urbano II. pri-mus Rex Christianus creatus est, cui successit in ejus regno Balduinus Fra-ter. Ex Regibus Poloniæ multi de Turcis insignes victorias reportarunt; inter quos Ladeslaus, Stephanus, Bo-lelaus, Sigismundus III. Reges Po-loniæ: nuper Joannes III. Rex Po-lonorūm, venit, vidi, vicit, ante Viennam Austriæ, quam à ducentis millibus Turcarum undique circum-vallatam, & coangustatam, jamque ditioni proximam; universo hostium exercitu profligato liberavit, quâ in expeditione Dux Bavarus, Dux Lo-

tharingus, & Comes Starembergius, præclaram invicti animi laudem, & gloriam è prælio reportarunt.

Ex Regibus Bohemiæ Boleslaus, & Castellæ Rex Alphonsus; item Ferdinandus Rex Aragoniæ, Philippus II. Rex Hispaniarum, gloria & honore immortali digni sunt.

Ex Regibus Angliæ Richardus, dictus cor Leonis, Saladini magni dormitor, Turcarum terror. Notandum est multos Principes ac Reges infideles fœdus iniisse cum Christianis, contra communem omnium Principum hostem; qui sese, Regem Regum, & magnum Dominum superbè jactat: contra quem excitandi sunt, in primis Reges Persarum, ut fecerunt olim summi Pontifices, & Christiani Principes, qui cum Usu Cassapo Rege Persarum, & Agaba Imperatore Tatarorum, multisque aliis, fœdus inierunt; immò ab hinc triginta quinque, aut circiter annis, Rex Persarum, ultro obtulit sese Innocentio X. ad commune Bellum Turco inferendum, cum Principibus Christianis.

I V.

EX Regibus Christianissimis, à Clodovæo, primogenito Regum fidelium; usque ad Ludovicum magnum; magno zelo Religionis Catholicæ inflammati sunt in primis Robertus Pius, Ludovicus VII. Philippus Augustus; sed maximè Sanctus Ludovicus, Regum Christianissimorum absolutum xemplar; cuius meritis, & intercessione credibile est Henricum III. Galliæ & Poloniæ Regem; ultimum ex Sancti Regis progenie, tam piam mortem, qua vitæ noxas expiavit, obtinuisse.

Cùm enim Henricum ejus Confessorius monuisset, ut Romano Pontifici satisfaceret, respondit Rex, his
 „ verbis: Ego majorum meorum me-
 „ ritis debeo, quod sim primogenitus
 „ filius Ecclesiæ, Catholicæ, Apo-
 „ stolicæ, Romanæ; & talis mori-
 „ volo: protestorque coram Deo, &
 „ coram omnibus adstantibus; uni-
 „ cum meum desiderium, ante exi-
 „ tum, ex hac vitâ mortali, esse; ut
 „ summo Pontifici, velut omnium

„ Christianorum Patri , & Pastori ,
 „ universi gregis Domini nostri JESU-
 „ CHRISTI , in omnibus quæ à me
 „ exiget abundè satisfaciam . His di-
 cētis hortatus est Regem Navarræ præ-
 sentem , ut ad fidem Catholicam Ro-
 manam rediret ; ac subinde erratorum
 veniam humiliter petens , ter iteratâ
 peccatorum confessione , & Sacra-
 mentali absolutione acceptâ , Sacro-
 que Viatico munitus , in divinis col-
 loquiis , & pœnitentiæ aëtibus , pla-
 cidè , & Christianè expiravit .

Rege Henrico tertio , tam piè mor-
 tuo , Rex Navarræ Henricus IV. ejus
 successor , qui ob hæresim , quam pro-
 fitebatur palam exclusus erat à Coro-
 na Regum Christianissimorum , Eccle-
 siæ Catholicæ primogenitorum ; pe-
 titit instrui ab Episcopis circa præci-
 pua puncta inter Protestantes , & Or-
 thodoxos controversa ; specialiter de
 invocatione Sanctorum , de confessio-
 nis Sacramentalis obligatione , & de
 potestate Romani Pontificis , in qui-
 bus , cum illi ab Episcopis , plenè sa-
 tisfactum esset : instabant Protestan-
 tes , ut ad summum controversiarum

caput, id est, ad realem, & substantialem existentiam Corporis & Sanguinis, ac totius Christi, in Sacramento Eucharistiae procederetur; tunc omnibus adstantibus, & audientibus, protestatus est Rex, se de reali & substantiali Christi Iesu existentia, sub speciebus panis & vini, post peractam Sacerdotalem consecrationem, nunquam dubitasse; se illam semper in corde suo credidisse: nec aliâ instructione sibi opus esse, ad credendum omnes, & singulos articulos fidei Orthodoxae, à Sanctâ Catholicâ, Apostolicâ, & Romanâ Ecclesiâ propositos; quamobrem publicè magno cum animi sensu, abjuratâ hæresi, fidem Catholicam, Romanam confessus; ab omni vinculo absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus; à felici conversionis suæ die, tanto Orthodoxæ fidei, per omnes regni sui Provincias propagandæ, zelo accensus est, Rex Christianissimus; ut palam profiteretur, nihil se ardentius desiderare, quam omnium hæreticorum sibi subditorum, ad Romanæ Ecclesiæ gremium, aggregationem. Sed hanc gloriam, viius est

Deus optimus, servasse Ludovico magno; ut quod avus ejus Henricus magnus, tantoperè optabat, & ejusdem Pater Ludovicus Justus armis suis vetricibus inchoavit; ipse novo armorum genere, sine sanguinis effusione, pacificè, sapientiâ suâ, & fortissimâ mansuetudine perficeret. Igitur Deo optimo maximo auxiliatore, & Rege Ludovico XIV. regnante, sperandum est, brevi, in toto Regis Christianissimi Regno, unicum ovile futurum, sub unico Pastore, Christi Vicario Romano Pontifice. Exaudiat Deus misericors suorum vota!

V.

Sancti Ludovici gloriosissimis hæredibus, & æmulis, adjungo alios Reges Catholicos, ac Principes sanctitate, quām sceptro clariores: qui spretis mundi illecebris, & divitiis, uni Regi Regum Christo placere, & ejus fidem propagare studuerunt. Valde notandum est, quod ex Regibus populi Hæbreorum, ex Regibus Juda, præter Davidem, Ezechiam, & Josiam, omnes mali fuerint, & inter Reges Israël quippè schismaticos & à

Capite separatos nullus probus?

Sola Anglia, Catholica, plures Reges, Reginas & Principes, sanctitate illustres numerat, quam omnes tribus populi Judaici: sed ab eo tempore, quo florentissimum illud regnum, tot Sanctorum Seminarium secundissimum, à Romanâ Ecclesiâ, per hæreticam pravitatem, separatum est, ne unum habet sanctum Confessorem; quæ multos fecit SS. Martyres avitæ fidei propugnatores: utinam meritis & intercessione Sanctorum Regum, Eduardi Martyris, Eduardi Confessoris, aliorumque Sanctorum, qui agrum illum Domini, sanguine, lacrymis, sudoribus, Apostolicis laboribus, ac omnibus Christianis virtutibus, ab initio excoluerunt, sub moderno Rege Jacobo Secundo, Catholico, Casto, Pio, Pacifico, bonis omnibus dilectissimo, & pientissimâ Reginâ Mariâ Eleonorâ Estensi, ejus Conjuge; Sancto Gregorio magno, Anglorum Apostolo intercessore, redeant tandem, ad finum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut boni filii, ad optimam matrem

suam: ut vera Anglorum conversio;
sit nova Angelorum Sanctorum in Cœ-
lis, exultatio. His fidelium votis an-
nuntat Deus optimus!

Habent & alia regna, Christo subdita,
suos SS. Reges & Principes, Hungaria
S. Regem Stephanum, & Sanctum
Emericum ejus filium. Bohemia San-
ctum Regem, & Martyrem Wence-
slauum. Dania Catholica Sanctum Ca-
nutum Regem & Martyrem. Polonia
Sanctum Casimirum Angelum incar-
natum. Hispania Sanctum Hermene-
gildum Martyrem, & Sanctum Fer-
dinandum Regem Castiliæ; quorum
nomina perfecta sunt elogia. Hi omnes
testimonio fidei Ortodoxæ probati,
fideles inventi sunt, quia Deo, uni,
trino, Christo Regi Regum, ejus
Ecclesiæ Sanctæ, & fidelium saluti
servierunt, in iis quæ non possunt fa-
cere, nisi Reges Catholici, Justi, Pii,
quorum memoria in benedictione est
apud omnes homines: sicut ipsi gloriâ,
& honore coronati sunt, ab omnium
Sanctorum Remuneratore magnifi-
centissimo, Deo, uno, trino.

Imperatores Christianissimi, propugnatores Ecclesiæ Dei vivi contra infideles. Primus omnium, fit Constantinus magnus, primus Christianissimus Orientis & Occidentis Imperator, Sanctæ Helenæ natione Anglæ, primæ Augustæ Christianissimæ verè pius Filius, qui in Crucis signo, in quo salus humani generis constituta, vicit inimicos fidei: & primus, Christi Crucem supra Imperiale Diadema exaltavit.

Constans Filius ejus, & Heraclius Imperatores, Christiani, in Crucis signo de inimicis triumpharunt.

Carolus magnus, zelo Religionis, virtutibus, & victoriis quam nomine major; ex Regiâ Francorum prospâ oriundus, omnes partes Christianissimi Imperatoris implevit. Concilia plurima celebrari curavit, sed ea semper, cum assensu summi Pontificis: cui ut optimus filius, Ecclesiæ Romanæ primogenitus, optimo Parenti fidelium omnium, semper adhæsit: coronatus est Imperator à Leo-

ne III. cui juramentum præsttit, de
Romanæ Ecclesiæ defensione; cu-
jus Filium, & defensorem sese indi-
gitat, omnemque erga Sedem Aposto-
licam subjectionem, impensè filiis
commendavit.

Fuit eximius cultor Sancti Petri, cui
Saxoniam à se victam obtulit, & in
Galliis Denarium Sancti Petri insti-
tuit: suis regnis inter filios testamento
partitis, Imperium, arbitrio Roma-
ni Pontificis disponendum reliquit.
Verba in testamento, ejus expressa,
memoranda sunt, ut Christianissimo
Rege & Imperatore dignissima. Super
„ omnia, inquit, filios suos alloquens,
„ jubemus ut ipsi tres fratres curam
„ & defensionem Sancti Papæ simul
„ suscipiant, sicut quondam ab Avo
„ nostro Carolo, cognomento Mar-
„ tello, & à Beatæ memorie Genito-
„ re Pipino Rege; & à nobis posteà
„ suscepta est: ut eum cum omni adju-
„ torio, ab hostibus defendere nitan-
„ tur, & justitiam suam, quantum
„ ad ipsos pertinet, & ratio postulat,
„ habere faciant. Similiter, & de cæ-
„ teris Ecclesiis, quæ sub illorum

„ fuerint potestate ; præcipimus ut
 „ justitiam suam, & honorem habeant.
 Hæc piissimus Imperator Filiis suis im-
 peravit : quod Carolinum decretum
 subsciprum est ab Optimatibus Fran-
 corum, Romamque missum ad Leo-
 nem Papam, confirmandum ab eo,
 atque subscriptione nuniendum. Te-
 stamento ultimo de bonis suis mobili-
 bus maximam partem, Ecclesiis, &
 pauperibus reliquit, totoque vitæ tem-
 pore munificâ manu, omnibus bene-
 faciendo, tandem Sanctè mortuus est,
 & ut Sanctus colitur.

Carolo magno successit in Imperio
 Filius ejus Ludovicus Pius, verè ma-
 gnus, magni Imperatoris partus, Im-
 perator Pius. Cùm pietas ad omnia sit
 utilis: credunt vulgò à Ludovico Pio
 manasse Hauspurgicum Sanguinem :
 non errant, si sanguis magnorum Prin-
 cipum, sit magna pietas : & magnorum
 Regum prosapia virtus eximia.

Sanctus Henricus, ex Duce Bava-
 riæ coronatus Imperator, à Pontifice
 Romano, pietate Eucharisticâ semper
 victor; sub ejus signis Angelus Do-
 mini, Sanctus Adrianus, Sanctus
 Lauren-

Laurentius, & Sanctus Gregorius magna-
gnus, visibili in specie militaverunt.
Deus exercituum, cum Angelis suis
pugnat cum Imperatoribus Piis, con-
tra impios inimicos Crucis Christi, &
quorum finis interitus.

V I I.

QUINDECIM Imperatores Austria-
ci, à Rudolpho primo, usque
ad Leopoldum; fide Catholicâ, ar-
ctissimè uniti, unico visibili militantis
Ecclesiæ Capiti, summo Christi in
terris Vicario, & in primis pietate Eu-
charisticâ ob armati, ac roborati, inim-
icos Religionis, Catholicæ, Roma-
næ debellaverunt: Deo exercituum
perpetuò Austriacorum Principum
auxiliatore, & adjutore in opportu-
nitatibus.

1. Primus omnium Rudolphus vi-
ctoriosus, à Gregorio X. Crucem ac-
cepit, constitutusque est Dux Belli Sa-
cri; qui pietate Eucharisticâ & Cru-
cifixo, pro sceptro, & gladio munis-
tus, hostes Dei, Romanæ Ecclesiæ,
& Imperii vicit. Semper felix Impe-
rium est Ducis, qui Crucis imprope-

Bb

rium non fugit, & Eucharistico Sacramento roboratur. Enimverò nihil Augustæ Rudolphi famæ defuit, quando quatuordecim victoriis, suis superior hostibus, amicum posteris reliquit imperium; in quo quidquid hodiè magnum cernitur Austriacum dicitur.

2. Victoriam triumphus sequitur, victoriosum Patrem triumphator Filius, Rudolphum primum, Albertus Primus. Non possunt infeliciter geri Bella, quæ pro Deo, Ecclesiâ, & salute populorum suscipiuntur; in quibus pari labore desudant pietas, & justitia. Fundatum à Rudolpho in Eucharistico Sacramento, & in Crucis signo Austriacis Imperium: in iisdem ad perennitatem stabilitum est.

3. Sublato Alberto primo Austriae, Imperii pomum, factum est discordiæ malum. Tunc quidem non est datum pulcherrimo: qui nimis inhatabat Imperii Majestati, fraudatus votis ingemuit, qui minus ambiebat, superavit sua, aliorum vota explevit. Ita honor quærentem fugit, fugientem quærit: ac velut umbra fugit, si se-

quēris, sequitur si fugis. Sed corri-
vali extincto, Fridericus III. à vul-
tu Pulchri, ab animo Fortis nomen for-
titus, electus est in tertium Impera-
torem Austriacum, Majestatem ge-
minā veluti base sustinuit; ut quam-
vis amabilis, tamen fortiter imperaret;
verūm tranquillitatem Austriæ, no-
vus Imperii turbo excepit, qui ipsum
etiam Fridericum involvit. Bis Impe-
rator jure, & authoritate Pontificis
semper legitimus, armorum satur,
pietatis castra ingressus, Christianissi-
mè expiravit.

4. Per centum & amplius annos,
Austriacis interposita parenthesis,
clausa est per Albertum secundum ho-
norificum; postquam Austriaca linea,
sic in Imperium ducta est, ut nulla fue-
rit huc usque intercalaris. Omnes Al-
bertum Cæsarem exoptabant, solus
ipse timebat imperare, ne libertatem
mentis amitteret: metuo, ajebat, ma-
jora meritis possidere, fortè saluti meæ
moram injectura. Eugenii IV. Pater-
na monita, Concilii Basileensis pia
consilia, omnium Electorum preces
intercedere debuerunt. Sic maximis

Bb 2

digni honoribus, honores fugiunt;
 quos indigni ambiunt. Posside impe-
 riū, tuæ saluti ne metuas Alberte!
 metuendum est saluti Imperii, si te
 non possideat: cor enim Germaniæ
 Austria est, metuendum est corpori, si
 caput vitam nō sumat ex corde. Quām
 Piè Imperium suscepit Albertus,
 tam fortiter mox Hungariam defendit
 contra crudelem Amurathem: breve
 fuit Imperium Alberto, sed in longam
 posteritatem ejus merita supervivunt.
 Cœlo delapsus Princeps biennio, re-
 rum gestarum magnitudine sœcula
 implevit: victor redux, martis insidias
 advertens, Regem Regum pro ini-
 micorum salute orantem imitatus. Do-
 mine ignosce illis, inquit, qui in hac
 „ meâ morte rei sunt: & ego eisdem
 „ ignosco propter te. Vitam Christi,
 qui vivunt, mortem Christi moriuntur
 Principes Austriaci.

5. Fridericus I V. Pacificus, pri-
 mus Austriacorum Cæsarum Vicariâ
 Dei manu Coronatus est. Magnum
 Dei Dōnum orbi Christiano, Impe-
 rator pacificus: id est, Dei optimi,
 maximi, Dei pacis, & benedictionis

filius, mitissimus hic Princeps, inter arma natus, armorum hostis, martis osor, ferrei parentis, aureus filius, pacis studio omnibus amabilis; inter ferales Martis Cupressos plantavit oleam pacis. Est hæc Austriacis in nata, Majorum virtute regnandi ratio, amore, non ferro dominatum in subditos exercere. Non aliis usus armis pacificus Imperator, quam, quæ primæ sunt regnorum firmamenta *Pietate & Justitia*, ut secundam humanis rebus tribueret; primam divinis rebus curam impendit, cum decem & amplius lustris, imperium servasset in armistitio, Imperator pacificus, è terris in Regionem pacis emigravit.

6. Maximilianus primus, parente natus pacifico, lucem non alias cœpit intueri, nisi quam amica diurnæ pacis serenitas Germaniæ infudit. Vel à teneris adultæ sapientiæ, Maximilianus, ut sui nominis mensuram impleret; virtutem adjecit, Religione in Deum, pietate in subditos, in hostes humanus, in omnes munificus, Cœli favores, hominum amores attraxit. Inter ardua saxorum præcipitia,

Bb 3

unde vel oculis metiri redditum, erat
mortis imago, perire debuerat; nisi
quò homines attrahere non potuit,
detraxisset de Cœlo Superos in obse-
quium: *Pietas Eucharisticae Maximili-
iani.* Nimirum nunquam vicinus si-
bi Cœlum experiuntur Austriaci Prin-
cipes, quām in summis angustiis. Est
hæc Austriacæ Domus felicitas, etiam
cum maximè periclitatur, cæteris
eminere: unicus tanti nominis, & po-
tentiaæ hæres, cum parum abesset à
casu, parum absuit Austria ab occasu.
Sed tamen & hinc Austria felicitatem
tuam ominari licet, nam verè Austria-
cæ Domus stat gloria, quando illius
basis, in solidâ Petrâ stabilita est, &
quæ Dei conjuncta sunt manu, fru-
stra mortalium violentia convellere la-
borat. Inter pacis studia, Belli curas
deserere non potuit, laceffitus undi-
que, ubique victor, sapiens, Pius, &
hæroâ fortitudine præditus Impera-
tor, primum superba Othomanicæ
lunæ cornua attrivit; effusa in Cro-
atiæ Turcarum examina, adventu
terruit, aspectu fugavit. Hinc evoca-
tus in Gallias, expertus est, vel inter

lilia, sibi lauros succrevisse. Vedit vi-
torem Geldria, Germania triumpha-
torem, extimuit Italia vindicem. Cum
vicisset omnes inimicos suos Maximi-
lianus, vicit etiam quam timere con-
tempsit mortem: qui ultimo vitæ trien-
nio, quasi captivam in triumphum
ducens, mortalem ubique sarcopha-
gum circumduxit. Tandem sive fra-
ctus laboribus, sive fessus victoriis;
cumulatus meritis, natus in pace Prin-
ceps, Piè, uti vixerat, requievit in
pace.

7. Maximilianum primum sequitur
Carolus quintus, qui & in Pace domi-
nari, & in Bello vincere nosset. Ea in
Carolo æQUITATIS, ac pietatis eluxit
gratia, ut vix dum juvenis jam clavo,
& clavæ Reipublicæ adhibebatur.
Consilio magnus, ac industriâ invi-
etus Princeps: à Patre Belgii, à Ma-
tre Hispaniæ, Neapolis ac Siciliæ, ab
Avo Imperii gubernacula suscepit: ne-
scio an prodigam, an prodigiosam ma-
gis fortunam sortitus; non placent au-
ribus Catholicis ista fortunæ, aut fati
nomina. Egregiè suo more Augustinus,
Augustis Imperatoribus Paganis Au-

B b 4

gustior; Si quis inquit fortunæ, aut
fati nominibus divinam Providentiam,
in orbe sapientissimè & justissimè lu-
dentem nuncupat: sententiam teneat,
linguam corrigat.

Anno sæculi decimi quinti, decimo
nono, expiravit Maximilianus primus,
& universæ Germaniæ induxit tene-
bras, donec inspirante illo, in cuius
manu sunt omnium potestates, & om-
nium jura regnum, & conspirante
Septemvirorum feliciter voto, inter
planetas Imperii Sacri, sol illuxit Ca-
rolus, Victorias Caroli quinti non nu-
mero, unum dico, victoriosum stetisse
Carolum, contra fidei, & pietatis de-
sertores, assertorem. Confertos inter
hostium manipulos, vix consertæ ma-
nus, ferream undique, emissâ glande
transmittunt grandinem; non minori
piaculo, quam jaculo, trajectum in
vexillo Crucifixum, Pius indoluit
„ hoc voto Cæsar, Domine, hujus te
„ injuriæ judicem, me per te vindic-
„ em statue. Et continuò, Deus
aurem verbis, lauream vertici adhi-
„ buit: Nunquam supplex bellat, cu-
„ jus in Bello complex est Numen.

Audite gratum Regi Regum Cæsarem; non Julium Romanum, sed Carolum Germanum: Veni & vidi, sed Christus vicit.

Austriacus pro Deo, & Romanâ fide zelus, patrium mutare solum sæpè Carolum coëgit: Africam Christianis offensam defendit Barbaries, quibus Ottomanni leges, nec portam Orientis concessere, cessere tamen victori Carolo: facile contra inimicos Crucis Christi reportavit palmum Cæsar, qui Crucem è palma nunquam dimisit. Solimano Viennâ obsidione pressâ, Hungariâ obsidibus destitutâ, missâ solum à Carolo in pugnæ signum Chirotecâ, à pugna deterret Barbarum, qui fugam ut excuset, sic incusat: Non te Carole, sed fortunam tuam timeo. Sed quis amabo compaginabit omnia, quæ Caroli propagavit industria & animi magnitudo, Eucharisticæ pietati conjuncta? A septimo decimo ætatis anno, annuas ferè suscepit expeditiones: novies in Germaniam, à qua Carolus vocatus est magnus; sexies in Hispaniam, in qua Alexander audiit magnus; in Italos septies,

qui in Carolo Christianum Davidem coluere: in Gallos quater, qui in Cæfare Herculem suspexere: Belgium decies, Britanniam bis ingressus, semper dominans, aut domans: Bino Africam vel fudit, vel confudit prælio; unde meritò à Turcis Julius, ab Afris Hannibal dictus: uno verbo militia perpetua fuit tota Caroli vita super terram.

Sed quadraginta paternis regnis, trigesima sex Imperio expensis annis, Deo uni, & sibi ut viveret duos impendit: addicto enim Cœlis animo, abdicato terris Imperio, militem exuit, Eremitam induit; ut in solitudine, magnarum mentium statione, sine sollicitudine degens, in soliditate fidei, sancti timoris, & Eucharisticæ pietatis staret usque in finem.

8. Carolo Quinto, in Imperio succedit ejus frater natu minor Ferdinandus Primus: ferrea nomina aurei Principes, à Ferdinando primo ausplicantur. In ea enim tempora inciderat, quibus aurum nec in cœlitum Aris, ab hæreticorum perfidiâ, nec in Provinciæ ærariis à Turcarum insidiis tutum

erat, nisi in sui custodiam ferro muniretur, ita illud quod omnes amant, muniendum est, eo quod omnes timent. Expedit aliquid esse, quod aureos Principes rigidos faciat; ne dum nimis amantur, formidari desinant: amore & timore omnia regna gubernanda sunt: sicut enim bonos subditos non habet, qui solum timetur Princeps: sic non potest populos in officio continere qui solum amatur. Ideo Deus per quem Reges regnant, & Principes jura decernunt, vult amari & timeri ab omnibus: semper enim Deo, & Principibus a Deo constitutis est fidelis, qui timorem & amorem conservat perpetuum.

Ferdinandus pacis amantissimus Princeps, quam quærebat suis, ipse sibi possidere non potuit: non potuit inquam, tranquillum regni tenere solum Ferdinandus, nisi turbatis inquis possessoribus, & rebellibus victis: nunquam tamen, vel in æstu victoriae, se Austriacum oblitus est. Ita punivit reos, ut laudaretur clementia victoris, & ultiæ benignitas; qui ne omnes plecteret, in paucos animadvertisit:

illis solis ademit capita, qui turbam
vocabant ad pileum. Communia enim
delicta, multorum metu, paucorum
cæde castiganda sunt: hâc nimirum
sapientiæ, & fortitudinis commenda-
tione; duabus veluti rotis, ad Impe-
rii Romano-Germanici Majestatem,
jubente Carolo V. nolente Saxone,
consentiente reliquo Collegio, plau-
dente populo, Aquisgrani inauguratus
est Ferdinandus. Universâ propè Ger-
maniâ extinctus pietatis ignis, undique
flantibus furiosis hæreticorum ventis,
in unum Ferdinandum velut in cen-
trum se reduxisse videbatur; cùm mul-
ta gloriosè, hoc etiam prodigiosè præ-
stítit, Ferdinandus primus, quod ita
vixerit Imperator, ut credatur sine
lætali maculâ deceſſisse.

9. Maximilianus II. è cunis ad cu-
ras progressum facturus, Caroli V.
Imperatoris aulam, ingressus est puer,
pluribus par coronis egressus: eis-
dem cum Philippo II. Hispaniarum
Monarchâ Caroli Imperatoris Filio,
formatus institutis, ad pacem, & arma;
ad sceptrâ, & coronas maturuit. Cæ-
farum enim disciplina, est eruditio

imperandi. Carolum cùm spectaret discipulus, Caroli prudentiam & fortitudinem exprimebat; fortunā & famā, sicut Carolo semper addictæ, dicerunt & Maximiliano servire. Ita nempè, communis quædam Austriae est virtus, ut alium ab alio, præterquam nomine, non distinxeris: Princeps pacis amantissimus, illam tamen Imperio dare non potuit, nisi debellatis hostibus; adeo verum est, si vis pacem para bellum: est enim plerumque boni Belli filia pax bona: nec potest esse Bellum justum, quod non ordinetur ad pacem bonam, ut medium ad finem. Oderunt Austriaci Principes bella gerere, & hostes ad pacem flexisse contenti, arma abjiciunt; ita quidquid in naturā est generosum, est simul mite & benignum: nec profilit in furores nisi irritatum. Irritare ubi desieris, omnem iram flexisti. Reliqua Imperii sui parte felix ut esset, minus imperavit, imperavit tamen, quod libuit, etiam non jubendo, hoc est imperandi arcanum: non uti summo jure, nec pro absolutæ potestatis mensurā, sua in subditos imperia extendere.

Hinc quod ore proferebat, saepius, factō ostendit semper; bonum Principem à Patre nil differre.

Omnes optimi Imperatoris partes implevit Maximilianus secundus, eruditus præteritis, moderatus presentibus prospexit futura, & tandem felix regimine, fessus victoriis, gravis trophyis, æquitate, justitiâ, & pietate inclitus, Ratisbonæ, Christianissimè occubuit.

10. Rudolphus secundus, idem cum primo sortitus nomen conspiravit in facta: quam ille gentem prudentiâ fundavit ad coronas, hic eâdem prudentiâ servavit ad gloriam, à puero id connisus est, ut nominis majestatem factorum gloriâ adæquaret. Duo ad prodigium conjunxit, Majestatem & Amorem. Severitatem aspectus, facilitate alloqui temperavit; aures habuit quæ Principem decent, apertas omnibus, aditus nunquam occlusos: ingressæ per aurem calamitates, illicò animum occupabant: nemo accessit miser, quin rediret felicior, quasi ad felicitatis forum populi omnes confluebant ad Rudolphum: ejus prudentia non modò

pacifica fuit, sed fortis, & bellicosa; in
vasta Hungariæ planicie, campum
martium fortita, omnes arbores Lau-
ros, & palmas fecit.

Albam cæsorum sanguine purpu-
ravit, Strigonium extorsit, Jaurinum
ad deditioñem coëgit, Sinanem Bassam
sæpe fudit, confudit, fugavit; Maho-
metem afflixit, Ibraïum attrivit; Va-
lachos & Tartaros ad juramentum fi-
delitatis adduxit: tandem tot victoriis
gloriosus, tot onusitus Laureis, Asiac
terror, Europæ tutor emoritur.

11. Mathias. Imaginem optimi Cæ-
faris ut mundo exhibeas, Virtus, Ma-
thiam Austriacum Imperatorem de-
pinge, sed ante omnia piissimum Im-
peratorem Mathiam voca, omnis in
homine ab animâ motus; omnis in Prin-
cipe à pietate actio, exangue Principis
cadaver est Cæsar non Pius, Religio
Orthodoxa Austriacis est motus &
quietis principium.

Cùm amabilis esset omnibus, nullum
habuit hostem, nisi quem pietas. Wor-
matio Judæos exturbavit: Hungariâ
Turcas; utrobique Belli Sacri Dux, Dei
causam egit: nusquam arma laudabilius

fulminant, quam pro Deo in impios. Ubique Orthodoxam Religionem conservavit, defendit, propagavit: Zelator, sapiens, fortis, felix, vigilans, justus, liberalis, mansuetus, atque amabilissimus Imperator, ab omnibus est dictus. Maluit enim Mathias cives suos amicos esse quam servos: Metus & terrors infirma Imperii vincula dicebat; at amari, coli, diligi, & fidissima est, & tutissima Regum custodia; non modò Austriaca amabilitate totum rapuit imperium, sed amoris sui imperium ultra regnorum suorum limites in Gallias usque extendit: amoris mensura dolor est, Ludovicus XIII. cum regni sui proceribus, defuncto mœstus parentavit.

12. Ferdinandus secundus, optimi Patris, optimus Filius, Austriacam pietatem cumulavit Imperator piissimus: rarum prodigium est summi honoris cum summâ pietate connubium, praesse terris, & terrenis animum non inquinare; tenere solium, & subjectione sua Deum exaltare; radiare purpurâ, & cælestè lumen purius admittere; proferre sceptra, & Deo regna ac imperia fundare: dictare humanâ jura, & divina

divina sanctius observare, hoc verò est, igni aquam sociali födere maritare ; verbo, prodigium est naturæ, & gratiæ, hoc in terris augustam Cœli majestatem exhibet, hoc in humanis divinitatem repræsentat. Lâuretanam Virginem peregrinus invisens, domesticam Dominam, ac Reginam Orthodoxæ fidei salutavit: ibique exscindendæ hæreseos Sacramentum dixit, ubi Immaculata Sanctitas serpentem calcavit. Bohemiae, Hungariæ, & Germaniæ Rex, ac Imperator Coronatus est; sed ne quidquam in eligendo Imperatore valeret fortuna, moderata Septemvirorum calculos Cœli & terræ Imperatrix evicit, quippè quæ Moguntino Antistiti ut constanter eligeret Ferdinandum imperavit. In folio Imperator collocatus, eisdem armis, regna & Imperium defendit, quibus invasit; augustâ videlicet in Deiparam pietate, eundem dixisses, & Orbis Imperatorem, & Dei Apostolum. Pastorem feratus, oves lupis eripuit; & ut securæ essent, in ovi-le coëgit. Centies centena animarum millia Orthodoxæ fidei restituit. Id si magnum est in Apostolo; in Imperatore prodigium.

Cc

Id unum communis deficientium Provinciarum tumultu sentiebat, quod Deum exulere cogerent, quem ipse perpetuum civem cupiebat; nec pericula sua metu, nec calamitates luctu dignatus, infra se omnia, semper in faciem Regis Gloriæ aspiciens, cælestibus spiritibus simillimus despexit. Pissimus Princeps ut Deo conciliaret perduellium animos, Majestatis ac potentiae oblitus, clementiam obtulit. Sed vicit, pertinacia sceleris, constantiam lenitatis, collatis undique armis cæduntur rebelles, coguntur Bohemiæ urbes; ubique sparso per Maximilianinum Bavarum, Christianum Machabæum, Ferdinandi terrore, Pragæ & Friderico jam metuenti, tota tempestas incumbit. In monte Albo suprema Belli alea jacitur, & hostium sexaginta milium exercitus cæditur: adeo feliciter militant qui Deum habent commilitonem: pietatem omnium victricem hic pugnasse non dubites, pugnante pro Ferdinando Imperatore Empireo, cum Ferdinandus pro Cœlo præliaretur: Dominicus Crucem prætulit, quam cum spectaret miles, animis id audiebat: *In hoc signo vinces.*

Sufficiens victoriæ præmium, ipsam ratus victoriam Imperator pientissimus, triumphum cessit magnæ Cœli terrarumque Reginæ Mariæ.

Severum Imperatoris nomen, Austriacâ pietate dissimulans, omnium, pauperum, pupillorum, Religiosorum, & Ecclesiasticorum Patrem nutritum se præststit; de annonâ tot spiritualium filiorum sollicitus, omnes regnorum opes suæ munificentiae materiam fecit. Canalem dixeris ejus gremium: cum affluerent plurima, effluxerunt omnia. Aiebat: *Officium Principis, officium esse optimi Patris, tam augustum & suave nomen, sola largitate sustineri.*

Alienī sanguinis quam parcissimus; sui omnino prodigus, si hic vel tuendo Dei honori, vel servandæ justitiæ servaret. Duobus hisce cardinibus, universam Imperii ac regnorum molem versare videbatur; *Zelo Pietatis & Justitiae*. Ferdinandi invictissimum animum, cuius firmamentum solus Deus erat, nec adversa dejecerunt, nec prospera elevaverunt. Gustavum in blandientis fortunæ affluxu dicere solitum ferunt; unam sibi terrori esse Ferdinandi vir-

Cc 2

tutem: quæ demum à Turcarum Prin-
cipe id extorsit elogium. *Ferdinandus
Sanctus est: Deus cum illo est: & pro
illo pugnat.*

Audisti Austriacæ pietatis Histo-
riam, subscribe, Ferdinandus Piè
vixit, Piè obiit.

13. Ferdinandus tertius Romano-
rum Imperator, Ferdinandi secundi,
maximi Patris, Annæ Mariæ piissimæ
Matris, æquè maximus ac piissimus Fi-
lius, justus, fortis, sapiens, omnem æta-
tem, aut sapientiæ oraculis, aut virtutis
prodigijs implevit. Qui pro omnibus
sapere debet Imperator, nunquam satis
sapit, nisi sapiat, supra omnes. Sed non
est vera sapientia, nisi sit pietati ad om-
nia utili, cōjuncta. Audite victiarum,
& Triumphorum Ferdinandi prælu-
dium! extreum viaticum, militis ad
Tugurium deferebat Mysta; primum
se viatorem, & comitem, Rex jungit
Ferdinandus. Rudolphi nempè victo-
riosi, jam tum insistens vestigis, ean-
dem sibi, ad viorias, & laureas, quam
ille ad Imperium, & coronas viam ape-
ruit. I, perge sapiens, Piè, & felix Ferdi-
nande, Regia hæc Austriacorum ad
coronas, & lauros est via: hunc ante vi-

ctoriam licet agere triumphum. Devi-
ctâ Ratisbonâ, Nordlingæ campus
plurium capax Hectorum, duobus
aperitur Ferdinandis, Patri, & Filio; sex
millia hostium capta, duodecim strata,
impedimenta omnia direpta ; unius
campi pugna plurimarum Provincia-
rum victoria fuit triumphatrice in Au-
striacis Ferdinandis, Eucharistiâ.

Nec minus Mariam Filiali affectu,
quam Deum summis honoribus, pro-
secutus est Ferdinandus, hujus Dei
Genitricis semper Virginis Immacula-
tæ Conceptioni, Universitates, Pro-
vincias, se totum scripsit, juravit,
devovit in perpetuum.

Adesse tandem stadii metam, ex mor-
bo pedum colligens, toties in suis mor-
tuus, nil mori moratus est. Unum hoc
suorum, suique in morte contestans :

Voluntas Dei, vita mea.

14. Ferdinandus quartus, Ferdi-
nandi tertii Filius, secundi nepos, primi
pronepos : ex Serenissimo Austriacæ
familiæ sanguine Cæsar in terris XIV.
in Cœlis XIII. omnium viva imago,
& perfecta expressio fuit. Illi ingredien-
ti mundum janua Cœli aperta est; ut,
quo victurus tenderet disceremus. Te-

neris Mariam labellis nominare vix di-
dicerat, & ex illâ horâ accepit eam in
sua. Consummatus in brevi, explevit
tempora multa; placita enim erat Deo
anima illius, Regias omnes, Austria-
cæ Domus virtutes complexus, ad-
jecit quod summum est, Innocentiam
Majestati.

Tres coronas reliquit in terris, ut unâ
potiretur in sinu Regis Regum Christi
JESU, quem magna devotione dilexit.

15. Leopoldus Augustus Germaniæ
Regum, ac Imperatorum à Carolo ma-
gno, Romano - Germanico Cæsare
quinquagesimus: Europæ Catholicæ
Jubilæum attulit; ut sperare possit sub
illo; quem Deus optimus, maximus Or-
bi Christiano dedit Imperatorem, suæ
libertatis Indulgentiam.

*Sic advouemus, quisquis amabili,
Momenta Regum numine prosperas,
Sortesq; regnorum, vicesq;,
Imperii moderaris: audi*

*Votum tuorum! prima Alemania,
Spes vivat Orbi! vivat, & Aureo,
Fluxus laboratos reponat,
Imperio Leopoldus annos!*

Eò omnia unde, omnis gloria Au-
gustissimæ Domus Austriacæ, ab Eu-

charisticā pietate Rudolphi prīmi vi-
ctoriosi procedens, sicut lux crescat
usque ad perfectum diem: nullus quip-
pè est, ex Austriacis Principibus, qui
hanc avitam pietatem, ad omnia util-
em, illustri aliquo facinore non no-
bilitarit. Dum hēc scribo: XX. Ja-
nuarii, memorandum pietatis Austria-
cæ erga Divinam Eucharistiam argu-
mentum, præbuit Serenissimus His-
paniarum Monarcha Carolus II. è
Palatio Suburbano Madritum rediens,
incidit in Sacerdotem, qui ad vicum
vicinum, Sacram Hierotecam defe-
rebat, confestim è rhedâ exilit, &
supplici corporis demissione, præsens
Numen adoravit; jussumque rhedam
conscendere Sacerdotem, pedes se-
quutus est, ad usque decumbentis do-
mum: Prætenfa ad currus Ostiolum
manu; adstitit ipse met viaticum reci-
pienti, blandè verbis solatus est ægrum,
& largiter concessâ, quam pænes se
gestabat pecuniâ, fore se orbæ fami-
liæ protectorem liberaliter adpromi-
sit. Eâdem reverentiâ, redeuntem Sa-
cerdotē prosecutus est ad usque Tem-
plum Sancti Marci, unde Domum in-
ter lætitia gestientis populi acclamatio.

nes, in Regiam se recepit Rex pius.

Fide Catholicā, unione arctissimā
cum Sanctā Sede Apostolicā, & pie-
tate Eucharisticā, benē fundatā, &
gloriosè exaltatā, stabit Augusta Do-
mus Austriaca; quam Deus optimus
maximus magnis suis Donis cumuleret,
ac coronet in perpetuas Æternitates!

M E N D A

Nova Bella Judic 3. Judic. 5.
 In Epist. Verisimile. Verissimè,
 Majestatis. Majestati,
 Apparatus P. 3 Emissam. Egressum,
 P. 5. Tam Principes & quam Tam Principes, quam
 Parte 1. P. 7. Et Incarnatae. Et Creatæ,
 P. 39. Gabriel. Gabrieli,
 P. 57. Maximus, Maximi,
 P. 58. Quod vobis, Pro vobis,
 P. 74. Prærogativæ, Prærogativas,
 P. 16. Pietatis, Addendum ardore,
 P. 230. Propugnatæ, Propagatæ,
 P. 248. In quem, In quod,
 P. 278. Corona, Coronam,
 P. 300. Ex Augustino, Nomine Augustini,
 P. 310. Tertiæ, Secundæ,
 P. 346. Christiani JESU, Christi JESU,
 P. 341. JESUS-CHRISTI, JESU CHRISTI,
 P. 346. Confirmas, Confirmas,
 P. 360. Necesitatā, Quæ libertas nec ad
 bonum, nec ad malum est necessitata.

EMENDANDA.





Th
5017